C. Mapelhorst.
16, 60.

SYNODUS DIŒCESANA

NOVARCENSIS III.

Class M
Section 2
Book No.
Accession No.

STATUTA

DIŒCESIS NOVARCENSIS

QUÆ

Post Synodum I^am^ A.D. 1853, et II^am^ A.D. 1868,

A

REV^MO^ JACOBO ROOSEVELT BAYLEY, Fe. Me.,

Celebratas,

IN SYNODO DIŒCESANA TERTIA,

DIEBUS 8 ET 9 MAJI 1878 HABITA,

TULIT ET PROMULGAVIT

ILLUSTR^mus^ ET REV^mus^

MICHAEL AUGUSTINUS CORRIGAN,

EPISCOPUS.

NEO-EBORACI:
BENZIGER FRATRES.
1878.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
CARLI: Consortium of Academic and Research Libraries in Illinois

http://archive.org/details/statutadicesisno00cath

INDEX.

PAGE.

ACTA, ... 7

Officiales Synodi, ... 9

Examinatores Synodales, ... 10

Catalogus Synodalium, ... 11

Admonitio, ... 16

STATUTA, ... 17

CAPUT PRIMUM.—DE PERSONIS.

I. De Officialibus Episcopi, ... 17

II. De Pastoribus eorumque Adjutoribus, ... 21

III. De Vita et Honestate Clericorum, ... 27

CAPUT SECUNDUM.—DE SACRAMENTIS.

I. De Sacramentis in Genere, ... 34

II. De Baptismo, ... 39

III. De Confirmatione, ... 43

IV. De SS. Eucharistia, ... 45

1. Asservatio et Renovatio SS. Sacramenti, . . . 45

2. Sacra Communio, ... 47

3. Sacrum Viaticum, ... 48

V. De Pœnitentia, ... 50

VI. De Extrema Unctione et Cura Infirmorum, . . 55

VII. De Matrimonio, ... 57

CAPUT TERTIUM.—DE CULTU DIVINO.

I. De Sacris Cæremoniis et Officiis, ... 64

II. De Sacra Supellectili, ... 65

III. De Sacrificio Missæ, ... 68

IV. De Cultu SS. Sacramenti, ... 71

PAGE.

V. De Festorum Observantia, ... 73
VI. De Prædicatione et Doctrina Christiana, . . . 77
VII. De Exequiis et Sepultura, ... 82
VIII. De Confraternitatibus et Piis Societatibus, . . . 84
IX. De Cantu Ecclesiastico, ... 87

CAPUT QUARTUM.—DE BONIS ECCLESIASTICIS.

I. De Ædificiis, ... 89
II. De Reditibus et Expensis, ... 93
III. De Libris et Tabulis, ... 97

APPENDIX.

I. Facultates quæ Sacerdotibus in Diœcesi Novarcensi concedi solent, ... 100
II. Instructio S. C. de Prop. Fide. de Commissione Investigationis, ... 105
III. Instructio S. C. de Prop. Fide de Scholis Publicis, . 112
IV. Notitiæ, ... 119
V. Financial Statement, ... 121
VI. Legal Enactments for the Incorporation of Catholic Churches in the State of New Jersey.
A. Act approved by the Legislature, April 9th, 1875. . 123
B. Supplement to the foregoing Act, approved March 9th, 1877, ... 127
VII. Certificate of Incorporation, ... 130
VIII. By-Laws of Church Corporations in the Diocese of Newark, ... 132
IX. General Instructions regarding Deeds, ... 136
X. Formula for correcting Errors in Deeds, ... 138
XI. General Instructions regarding Wills, ... 142
XII. Legal Titles of Churches and other Corporations in the Diocese of Newark, ... 147

TERTIÆ SYNODI NOVARCENSIS

ACTA.

—:o:—

Sessio Prima.

Per Literas die 8 Aprilis, A. R. S. 1878, datas, Rev^mus D. D. Michael Augustinus Corrigan, Episcopus Novarcensis, Synodum diœcesanam die 8. Maji, A. D. 1878, in ecclesia sua Cathedrali celebrandam indixit, et ad eam omnes vocavit sacerdotes sæculares atque etiam Regulares quotquot curæ animarum in diœcesi operam dabant.

Habita est Synodus tempore ab Episcopo præstituto. Siquidem die 8 Maji, Rev^mus Episcopus Missam pontificalem de Spiritu Sancto celebravit, Synodalibus omnibus adstantibus. Finita Missa Episcopus, deposita casula pluvialique indutus, precibus quæ in Pontificali Romano pro Synodo inchoanda præscribuntur rite persolutis, per Secretarium Synodum inceptam declaravit. Tunc renunciati sunt Synodi Officiales. Subinde lecto decreto de Fidei professione Secretarius omnium nomine professionem Fidei Pii IV., prout a b. m. Pio IX. per decretum S. Congregationis Concilii, d. d. 20. Jan. 1877, adaucta est, legit, quam singuli, bini accedentes ad Episcopum, tactis Sanctis Evangeliis et recitata conclusione Symboli "Ego N. N. idem. . . ." firmarunt.

Meridie omnes recesserunt, continuatione Sessionis ad horam 3. P. M. indicta. Hora itaque tertia pomeridiana omnes Synodales in ecclesia Cathedrali convenerunt. Rev^mus Episcopus allocutionem habuit in qua Synodi scopum necnon præcipua in ea statuenda disertissimis verbis enuntiavit. Deinde Examinatores Synodales renunciati sunt, quorum singuli, tactis Evangeliis Sanctis, juramentum de munere fideliter exe-

quendo in manibus Episcopi emiserunt. Deinde statuta, quæ jam in cœtibus præparatoriis coram Episcopo per aliquod tempus ante Synodi celebrationem habitis parata fuerant, a Secretario lecta sunt. Decretis autem præcipuis perlectis, Episcopus, ne forte ipsius præsentia libertati discussionis aliquo modo obstaret, recessit. Synodales vero, Adm. Rev. Promotore moderante, libere ac debita cum reverentia mentem suam de decretis prælectis aperuerunt. Procuratores Cleri, hac prima Sessione absoluta, quidquid addendum vel forsan immutandum Clerus censuerat, Episcopo communicarunt.

Hora quinta cum dimidia Sessio prima cum Benedictione Sanctissimi Sacramenti absoluta est.

Sessio Secunda.

Die sequenti 9. Maji, hora nona cum dimidia A. M., Synodalibus in ecclesia Cathedrali iterum congregatis, Sessio secunda ad Pontificalis normam habita est. Missa solemni de Sanctissima Trinitate et precibus præscriptis absolutis, populoque dimisso, Rev^{mus} Episcopus allocutionem habuit, in qua ad ea quæ ipsi a Procuratoribus Cleri, Synodalium nomine, significata erant, sapientissimis verbis respondit. Postea, prælectis aliquibus decretis indictaque continuatione hujus Sessionis ad horam 2 P. M. omnes recesserunt.

Hora vero secunda pomeridiana, Synodalibus iterum in ecclesia Cathedrali congregatis, statuta nondum lecta a Secretario prælecta sunt, qua lectione absoluta Episcopus recessit, iterumque, Adm. Rev. Promotore moderante, Clerus sententiam suam reverenter exposuit. Denique Episcopus ad Synodum reversus nonnulla a Clero proposita erudite enodavit. Facta demum admonitione de decretis observandis, seseque precibus omnium commendans, Synodo finem imposuit. Decantato solemniter cantico "Te Deum," et accepta benedictione Episcopali, omnes in pace recesserunt.

Sebastianus Bernardus Smith, S. T. D.
Notarius.

OFFICIALES SYNODI.

——:o:——

Promotor : Adm. Rev. GEORGIUS H. DOANE, V. G.

Secretarius : Rev. SEBASTIANUS G. MESSMER.

Notarius : Rev. SEBASTIANUS B. SMITH, S. T. D.

Procuratores Cleri, { Rev. GULIELMUS MCNULTY. / Rev. JOANNES MCQUAID, S. J.

Judices Excusationum, { Adm. Rev. GEORGIUS H. DOANE, V. G. / Rev. PATRICIUS CORRIGAN. / Rev. PATRICIUS HENNESSY.

Magistri Cæremoniarum, { Rev. JOSEPHUS M. F. FLYNN. / Rev. JOANNES J. F. O'CONNOR.

℣ Cantores, { Rev. CAROLUS A. REILLY. / Rev. FRIDERICUS KIVELITZ. / Rev. JOSEPHUS ESSER. / Rev. MICHAEL J. HOLLAND. / Rev. JOSEPHUS RUESING.

EXAMINATORES SYNODALES.

——:o:——

Rev^mus D. Robertus Seton, Proton. Ap., S. T. D.

RR. DD. Januarius De Concilio.

Patricius Corrigan.

Thaddeus Hogan.

Gulielmus McNulty.

Joannes F. Salaun.

Ludovicus A. Schneider.

Sebastianus B. Smith, S. T. D.

Patricius E. Smyth.

Winandus M. Wigger, S. T. D.

Adm. Rev. Bernardus Manzer, O. S. B.

Thomas O'Connor, C. P.

Joannes McQuaid, S. J.

Adm. Rev. Ferdinandus Mueller, O. S. F.

CATALOGUS SYNODALIUM.

I. SÆCULARES.

Adm. Rev. GEORGIUS H. DOANE, V. G.
Rev^mus ROBERTUS SETON, Proton. Ap., S. T. D.
RR. DD. JOANNES ROGERS.
JOANNES A. KELLY.
GULIELMUS MCNULTY.
CORNELIUS J. O'REILLY.
EDWARDUS MCCOSKER.
JOANNES JACOBUS SCHANDEL.
JANUARIUS DE CONCILIO.
PATRICIUS CORRIGAN.
THOMAS MARIA KILLEEN.
ANTONIUS SMITH.
PATRICIUS HENNESSY.
MARTINUS GESSNER.
DOMINICUS KRAUS.
PATRICIUS CODY.
PATRICIUS LEONARD.
HUGO MURPHY.
WINANDUS M. WIGGER, S. T. D.
MICHAEL E. KANE.
JOANNES FRANCISCUS SALAUN.
MICHAEL JOANNES KIRWAN.
JOSEPHUS THURNES.
LUDOVICUS A. SCHNEIDER.
JOSEPHUS ROLANDO.
THOMAS R. MORAN.
CAROLUS A. REILLY.
JOANNES P. MORRIS.

Hubertus de Burgh.
Joannes A. Vassallo.
Persius McCarthy.
Jacobus Henricus Corrigan.
Ludovicus Gambosville.
Petrus Fitzsimmons.
Sebastianus Bernardus Smith, S. T. D.
Jacobus P. Smyth.
Franciscus O'Neil.
Nicolaus Hens.
Fridericus Kivelitz.
Albertus van Schilgen.
Petrus L. Connolly.
Secundinus Pattle.
Antonius Hechinger.
Thaddeus Hogan.
Patricius Treacy.
Petrus S. Dagnault.
Jacobus Sheeran.
Patricius F. Connolly.
Patricius F. Downes.
Petrus Dernis.
Gulielmus P. Salt.
Alphonsus M. Steets.
Hugo P. Fleming.
Sebastianus Gebhardus Messmer.
Josephus Mendl.
Augustinus G. Spierings.
Egbertus Kars.
Theophilus J. Degen.
Henricus Theodorus Martens.
Josephus Jacobus Zimmer.

Antonius Cassese.
Gulielmus H. Orem.
Josephus Nardiello.
Nicolaus Molloy.
Thomas J. Toomey.
Hugo J. McManus.
Joannes J. F. O'Connor.
Jacobus Hanley.
Stephanus Bettoni, S. T. D.
Petrus Vivet.
Martinus van den Boogard.
Jacobus McKernan.
Samuel J. Walsh.
Gualterus M. A. Fleming.
Gulielmus M. R. Callan.
Michael Aloysius McManus.
Joannes Josephus Schandel.
Daniel Felix McCarthy.
Josephus M. F. Flynn.
Joannes Augustinus O'Grady.
Josephus Jacobus Curran.
Gerardus Funcke.
Josephus Borghese.
Stanislaus Danielou.
Carolus A. Vogl.
Georgius W. Corrigan.
Josephus Esser.
Joannes Maria Giraud.
Gulielmus Henricus Dornin.
Bernardus Henricus Ter Woert.
Michael Josephus Holland.
Michael Josephus Brennan.

Patricius McGahan.
Joannes Augustinus Sheppard.
Arthurus Josephus Henry.
Bernardus Joannes Mulligan.
Robertus E. Burke.
Isaac Patricius Whelan.
Jacobus Josephus Brennan.
Joannes Franciscus Brady.
Antonius Hippolytus Ceci.
Alphonsus M. Schaeken.
Franciscus O'Reilly.
Mauritius Petrus O'Connor.
Jacobus Augustinus McFaul.
Michael L. Glennon.
Gulielmus J. Wiseman, S. T. L.
Josephus Ruesing.
Jacobus Poels.
Joannes Franciscus Dowd.

II. REGULARES.

Adm. Rev. Bernardus Manzer, O. S. B.
RR. PP. Lambertus Kettner, O. S. B.
Corbinianus Gastbihl, O. S. B.
Theodosius Goth, O. S. B.
Athanasius Hintenach, O. S. B.
Alexander Hughes, C. P.
Eusebius Sotis, C. P.
Adm. Rev. Petrus Jacchetti, O. M. Conv.
Alphonsus Zoeller, O. M. Conv.
Avelinus Szabo, O. M. Conv.

Joannes McQuaid, S. J.
Franciscus Marshall, S. J.
Joannes A. McDonald, S. J.
Gulielmus Moylan, S. J.

Adm. Rev. Stephanus Byrne, O. P.
Jacobus D. Hoban, O. P.

Adm. Rev. Ferdinandus Mueller, O. S. F.
Hieronymus Lagleder, O. S. F.
Albertus Stroebele, O. S. F.

Jacobus Augustinus Walsh, O. M. Cap.
Daniel Scherer, O. M. Cap.

Anastasius Smith, O. C. C.
Theodosius McDonald, O. C. C.
Aloysius Kaemmer, O. C. C.

ADMONITIO.

Quæ Statuta Diœcesana sequentia contineant, paucis accipiatur. Atque in primis monere vix necesse est, omnia fere, quoad substantiam, deprompta fuisse ex iis quæ Rev^mus Jacobus R. Bayley, primus Episcopus Novarcensis, pro suæ diœcesis regimine, sive in Synodis Diœcesanis sive aliis occasionibus id postulantibus, sapientissime, quod plurium annorum testatur experientia, sanxit.

His addita sunt, secundo, quæ frequentioris observantiæ esse solent e Concilio Plenario Baltimorensi II., cujus decreta a Sancta Sede recognita, præter Summorum Pontificum et Universalis Ecclesiæ Synodorum leges, Dominici gregis in hac regione pastoribus suprema sunt ecclesiasticæ disciplinæ norma.

Tertio, prætermittenda non fuere quæ aliarum Diœcesium, præsertim in hisce Statibus Fœderatis, Episcopi pro suo zelo et sapientia statuerunt.

Demum, quæ Omnium Ecclesiarum Mater et Caput, Sancta Romana et Apostolica Sedes, recentioribus his temporibus, per organa sua, Sacras nempe Congregationes, quoad disciplinam ecclesiasticam observanda præcepit et mandavit, ea pro summa reverentia et obedientia Supremo et Universali totius Ecclesiæ Pastori debita, quantum opus esse videbatur, hic inserta sunt.

Faxit Deus Optimus Maximus, ut hæc Statuta Diœcesana, quæ invocato Spiritus Sancti lumine lata et promulgata sunt, eodem Spiritu suaviter disponente, ab omnibus quorum interest fideliter observata plurimum conferant AD MAJOREM IPSIUS GLORIAM.

STATUTA.

DECRETA OMNIA IN CONCILIO PLENARIO BALTIMORENSI II. NECNON IN CONCILIIS PROVINCIALIBUS NEO-EBORACENSIBUS I. ET III. LATA ATQUE SEDIS APOSTOLICÆ AUCTORITATE APPROBATA, ITERUM PROMULGAMUS ET AB OMNIBUS, QUOS SPECTAT, FIDELITER SERVARI JUBEMUS.

CAPUT I.—DE PERSONIS.

I. De Officialibus Episcopi.

1. Vicarius Generalis a Nobis designatus, eandem Nobiscum gerit moralem personam eandemque ecclesiasticam constituit curiam. Facultatibus tamen extraordinariis Nobis a Sancta Sede concessis uti non potest, nisi per unum integrum diem Nos abesse contingat.

2. Consultores sacerdotes pietate, zelo, prudentia et doctrina conspicuos vocavimus in adjutorium, qui consiliis

sapientibus Nos adjuvent, nonnihilque gravissimi oneris ac sollicitudinis Episcopalis in humeros suos suscipiant.

3.* Sanctissimo Domino Nostro Divina Providentia PP. Leone XIII. approbante, S. Congregatio de Prop. Fide, die 25 Junii, 1878, decrevit ac districte mandavit, ut singuli diœcesium Fœderatorum Americæ Statuum Antistites, quinque, aut ubi ob peculiaria rerum adjuncta tot haberi nequeant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et quantum fieri poterit in jure canonico peritos seligant, quibus consilium quoddam judiciale, seu, ut appellant, Commissio Investigationis constituatur. Hujus commissionis princeps erit officium criminales atque disciplinares presbyterorum aliorumque clericorum causas, juxta normam ab eadem S. Congregatione propositam, ad examen revocare, rite cognoscere, ac ita Episcopo in ipsis definiendis auxilium præbere. *Cfr. Instruct. S. C. de Prop. Fide, d. d.* 20 *Julii*, 1878.

Obtemperantes prædicto S. Congregationis mandato, quinque jam designavimus Nostræ diœcesis presbyteros ad talem commissionem constituendam.

4. Examinatorum Synodalium munus extenditur ad examina, quæ seminarii Nostri alumni singulis se-

* In Synodo Diœcesana sub hoc numero positum erat decretum circa *Judices Causarum*, juxta normam in Concilio Plenario Balt. II., n. 77, statutam. At cum supradicto S. Congr. mandato illa norma abrogata sit novaque penitus proposita, melius esse putavimus priori substituere statutum præsentis tenoris. *Vide Append.*

mestribus, Diaconi ante ordinationem ad presbyteratum, juniores de clero quotannis per quinquennium subire tenentur; necnon ad ea, quæ facultatum confessiones excipiendi concessionem præcedunt.

5. Cancellariæ Nostræ sequentes statuimus regulas pro faciliori rerum ecclesiasticarum administratione, et ad stabilem in hujusmodi negotiis agendi normam consequendam.

(*a*) Omnes petitiones, sive pro facultatibus, sive dispensationibus, sive aliis hujus generis rebus, in scriptis Cancellario exhibeantur.

(*b*) In causis matrimonialibus, impedimentum dirimens cum suis circumstantiis, simul et causa efficaciter movens ad impetrandam dispensationem, clare et distincte exponatur, sub pœna nullitatis. A tergo folii, vel infra textum supplicis libelli ponatur schema (arbor) consanguinitatis vel affinitatis.*

(*c*) Quando agitur de dispensando super impedimentis mixtæ religionis, disparitatis cultus, primi aut secundi gradus affinitatis, secundi gradus consanguinitatis, aut de dispensatione in radice, mittantur nomina oratorum (ficta quidem, si impedimentum ex Confessione tantum

* Speciem etiam infimam impedimenti aliasque circumstantias, de quibus in Theologia morum, tractatu de Matrimonio, auctores agunt, *sub pœna nullitatis* omnino exprimendas esse, de novo declaravit S. Cong. de Prop. Fide in Instructione super dispensationibus matrimonialibus, die 9 Maji, 1877, ad Episcopos data.

constet), eorumque circumstantiæ, utrum scilicet pauperes sint an sat divites, an etiam valde opulenti, super quibus fidem faciet petens. Quibus cognitis taxa vel componenda imponetur, Cancellario mittenda.

(*d*) In petenda dispensatione a bannorum proclamatione causa vere rationabilis et sufficiens ad dispensandum afferri debet.

(*e*) Cum litteris supplicationis pro dispensatione ab una ex duabus proclamationibus tria scutata; a tribus proclamationibus quinque scutata mittantur, remittenda si non concedatur dispensatio. Si quandoque contracturi sint pauperes, hoc tanquam sibi notum exponere, sacerdotis erit.

(*f*) In dispensatione pro matrimonio mixto petenda, sacerdos in supplici libello declarare debet (1) causam pro dispensatione concedenda; (2) utrum promissiones de conditionibus postea servandis, juxta normam infra, n. 82, statutam, factæ fuerint; (3) utrum pars acatholica baptizata fuerit, vel, si hac de re dubitatur, cujus sectæ sit.

(*g*) Collectæ diœcesanæ, item Cathedraticum, ad Cancellarium transmittantur.

(*h*) Litteræ proprietatis (*Deeds*) antequam in tabulis publicis describantur, ad Nos per Cancellarium ferendæ curentur. *Cfr. n.* 137.

(*i*) Ratio annua *(Financial Statement)* omnis accepti et expensi cujusvis ecclesiæ, necnon sic dictæ *Notitiæ*, ante diem primam Februarii ad Cancellarium transmitti debent. *Cfr. n.* 151, *sq.*

II. De Pastoribus Eorumque Adjutoribus.

6. Ut omnia ordine procedant et omnis discordiæ contentionisque amoveatur occasio, certos pro temporum adjunctorumque varietate jam constituimus vel in posterum constituemus limites, intra quos pastores diversarum ecclesiarum et eorum adjutores munera sua exerceant. Fideles intra limites ita ad tempus descriptos commorantes curæ sacerdotum ibidem degentium committuntur, qui tenentur iis sacramenta administrare, eos voce et exemplo docere aliaque omnia peragere quæ pastores decent animarum, qui pro ovibus sibi commissis rationem Supremo Judici sunt reddituri. Extra istos limites nullum pastorem aut quemcunque curam inibi gerentem volumus exire ad munera sua exercenda, nisi forte quis ad infirmorum confessiones excipiendas eos arcessiverit; imo sub gravi prohibemus ne quis audeat aliarum ecclesiarum fideles admittere ad sacramenta, præter Eucharistiam et Pœnitentiam, sine pastoris proprii consensu (si adiri possit), vel venia Nostra, nisi

grave valde incommodum et detrimentum animabus e denegato ministerio evidenter futurum sit; quo in casu tenebitur pastorem proprium quam primum scripto certiorem facere et oblationes jure debitas, quas accepit, remittere. Ratio tamen habenda est consuetudinis, ut iis qui in ecclesia quadam scamna conducunt, ab ejusdem ecclesiæ sacerdotibus omnia sacramenta administrentur, etiamsi domicilium illi habeant intra limites alienæ ecclesiæ. *Syn. Diœc. Neo-Eborac. III., a.* 1868.

7. Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus cura animarum commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque personarum miserabilium curam paternam gerere, et ceteris quæ sunt pastoris munera incumbere; quæ omnia præstare et implere nequeunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed eum mercenariorum more deserunt: monemus omnes hujus diœcesis sacerdotes, ne absque gravi ratione a congregatione seu districtu sibi commisso vel ad breve tempus decedant, præsertim die Dominica vel festo de præcepto interveniente: ipsis quippe absentibus, cum alii sacerdotes plerumque desint, fideles nequeunt præcepto audiendi Sacrum satisfacere, et vita periclitantes subsidio sacramentorum privantur.

Quodsi discedendi exstiterit necessitas, meminerint Tridentinam legem esse, ut causa prius per Episcopum cognita et probata sit. Licentiam idcirco petendam esse declaramus, quoties per integram hebdomadam a districtu suo sacerdos quilibet curam animarum habens abfuturus est.

8. In his ecclesiis vel missionibus ubi plures simul sunt sacerdotes, unus erit pastor a Nobis designatus, qui de rerum omnium administratione Nobis rationem reddere tenetur. Ceteri hujus coadjutores erunt.

9. Quæ Patres Concilii Plenarii Balt. II., n. 126, juxta mentem ecclesiæ de concursu ad parochiam obtinendam, pro rerum nostrarum adjunctis statuerunt, iis omnibus in hac diœcesi satisfieri declaramus per examina, quæ juniores de clero quotannis per quinquennium subeunt. *Cfr. n.* 21.

10. Parochi eorumque adjutores sæpius perpendant verba Concilii Provincialis Viennensis, h. a. 1858: "Parochus cooperatores fratres sacerdotii, filios ætatis et experientiæ ratione habeat; consilio regat, exemplo excitet; juniores ad curæ parochialis munia benigna assiduitate informet, bonorum operum, quibus Deum glorificabunt, particeps futurus, si patrem spiritualem eis se exhibuerit. Cooperatoribus decens debetur sustentatio; convictores sint parochi, qui vitæ necessaria

benevole eis subministret. Ipsi autem debitum parocho honorem deferant ac debitam subjectionem præstent; ejus apud parochianos reverentiam tueantur ac propagent, laboribusque suis vineam Domini ita excolant, ut rectorem eum constitutum esse nunquam obliviscantur."

11. Patres Concilii Plenarii Balt. II., n. 495, animarum pastores hortantur et obsecrantur "ut fideles sibi commissos et præsertim patresfamilias sæpe graviterque moneant, ut libros quoscunque quibus religio aut boni mores lædi ac violari possunt, procul a se suisque domibus arceant, seduloque invigilent, ne filiorum aut domesticorum manibus terantur." Cum præterea "nihil prætermittendum sit, ut libri salubres, sanæ doctrinæ, et qui legentibus vere prosint, locum pravorum suppleant vel præoccupent" summopere commendamus omnibus Nostræ diœcesis parochis ut, quantum fieri potest, vulgo dictas "Bibliothecas parochiales" recte ordinatas pro populo fideli instituant, institutas omni diligentia foveant atque promoveant. Quæ de libris supra dicuntur, ea quoque de foliis publicis et ephemeridibus valent. *Cfr. ib., n.* 505.

12. Cum juventutis instituendæ ratio scholis publicis propria et peculiaris (ita Supr. S. Congr. Universalis Inquisitionis, in Instructione ad Episcopos Statuum Fœderatorum Amer. Sept., a Pio IX., b. m., die 24ta

Nov., 1875, approbata et confirmata), sit ex se periculi plena et perquam adversa rei Catholicæ, oportet "ut Præsules amplissimi, quacunque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nihil tam necessarium, quam ut Catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis igitur Catholicis sive condendis, ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, ut institutione ac disciplina scholas publicas adæquent, omni cura prospiciendum est. . . . Sumptus tanto operi necessarii ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportune oblata occasione, sive concionibus sive privatis colloquiis, serio necesse est, ut ipsi commonefiant, sese officio suo graviter defecturos, nisi omni qua possunt cura impensaque scholis Catholicis provideant." *V. Append.*

Ex intimis itaque cordis Nostri visceribus hortamur et obsecramus Nostræ diœcesis pastores, omni quo possunt modo curare, ut quantum pro rerum temporumque adjunctis licet, scholas parochiales instituant, institutas omnibus viribus foveant, promoveant atque perficiant. Præter SS. Sacrificium, sacramentorum administrationem verbique Dei prædicationem, scholæ curam omnibus aliis officii sui muneribus anteponant.

Nil nisi quod sit absolute necessarium incipiatur sive in ecclesia, sive in domo parochiali, antequam schola Catholica habeatur et florescat. Eo vero totos sese conferant, ut schola parochialis non solum quoad disciplinam, sed etiam quoad sæcularem instructionem scholis publicis antecellat. *Syn. Diœc. Wayne-Castr., h. a.* 1874.

Quod magnopere commendarunt Patres Concilii Plenarii II., n. 432, prædicta Sacra Congregatio iterum inculcat, ut scilicet e congregationibus religiosis sodales sive viri sive mulieres in opus scholarum adhibeantur. Monent præterea Patres supradicti: "Quodsi sæcularibus hominibus munus instituendæ pueritiæ committendum sit, ii tantum ad hoc opus eligantur, qui non tantum scientia præstent sed etiam fide, moribus, et vita probatissima inter ceteros emineant." *Ib., n.* 433.

13. Omnino prohibemus ne, ubi plures sunt in una parochia coadjutores, ad infirmorum visitationem aliaque munia similia obeunda alternis tantum hebdomadis sese conferant, quasi, peracto suæ hebdomadis turno, reliquo tempore ab omni officio præstando, præsertim infirmorum cura, omnino immunes essent. Hac super re pastorum conscientiam oneramus volumusque eos omni modo procurare, ut hæc consuetudo tam religioni quam sacerdotibus ipsis nociva, ubi obtinet, omnino abrogetur.

14. Prohibemus ne vagus sacerdos in ulla hujus diœcesis ecclesia vel missione ad Sacrum offerrendum admittatur, nisi Nostram licentiam scripto prius obtinuerit. Si vero sacerdos clero diœcesis in his Fœderatis Provinciis sitæ adscriptus huc veniat, Sacrum offerre in transitu permitti potest, si tamen litteras commendatorias exhibeat vel sit bene aliunde notus. Si in mente habeat ultra tres dies in Nostra diœcesi commorari, ipsius erit licentiam in scriptis vel a Nobis vel a Vicario Nostro Generali obtinere. Præterea prohibemus sacerdotibus omnibus curam animarum in hac diœcesi gerentibus, ne sine venia Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis, eaque scripto concessa, ad Missam etiam semel celebrandam admittant sacerdotem quemlibet, qui huc advenit collectas instituturus.

15. Sacerdos quilibet, sive sæcularis sive regularis, qui Nostram diœcesim qualibet de causa relinquit, ut alio transeat, eo ipso privatur facultatibus omnibus in eadem illi concessis; neque poterit eis uti, quamvis iterum in eam redeat, sine nova concessione a Nobis obtenta.

III. De Vita et Honestate Clericorum.

16. Omnes Nostræ diœcesis sacerdotes in Domino hortamur, ut memores altissimæ sacerdotii dignitatis in omnibus virtutibus studeant in dies proficere. "Cum

enim," ut monet S. Synodus Tridentina, "a rebus sæculi in altiorem locum sublati conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnes clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum atque religione plenum præ se ferant. Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem." Juxta monitum S. Pauli, Tit. ii., 7, in omnibus se præbeant exemplum fidelium. Quapropter exoptamus, ubi plures resident sacerdotes, ut diebus Dominicis et festis tum Missæ solemni vel cantatæ, tum Vesperis et Expositioni Sanctissimi intersint, nisi caritatis vel justitiæ causa impediantur. Satagant præsertim zelo pro salute animarum, pro quibus Christus Dominus Noster Sanguinem Pretiosissimum fudit, singulis diebus per meditationem magis accendi, resuscitantes gratiam quæ in ipsis est, et in memoria habentes, ante tribunal divinum se esse sistendos districtam de animabus sibi commissis rationem reddituros.

17. Clericos a ceteris non solum statu et conditione, sed etiam veste distingui oportet. Etenim perpetuo in mentem revocat, quod sponte suscepere vitæ sanctioris

institutum, et plurimas in vitia labendi occasiones arcet amovetque. Omnes itaque Ecclesiæ legem servent, domique agentes vel in templo veste talari, quæ clerico propria est, semper utantur. Multo magis hac veste indutos esse oportet sacerdotes, qui sive in propria sive in aliena quacunque ecclesia sacris functionibus assistunt; quod quidem in Nostra diœcesi ab omnibus servandum esse mandamus. Cum foras prodeunt sive muneris sive animi recreandi causa, vel in itinere, veste quadam breviori indui licet, quæ tamen nigri coloris sit et infra genua producatur. Collari Romano semper utantur, etiam regulares, quoties foras prodeunt. Ceterum in omni vestis genere neque appareat elegantia studiosius quæsita, neque conspiciatur incuria, sed jugiter illucescat modesta simplicitas ab omni sæculari vanitate aliena. Comam et barbam studiose aut laicorum more ne nutriant. Ecclesiasticis omnibus hac in re morem Ecclesiæ Romanæ tanquam normam sequendam esse statuerunt Concilii Plenarii II. Patres, n. 151. *Cfr. ib., n.* 147, *sqq.*

18. Nicæni Patres sacerdotum virtuti et famæ consulentes, mulieres nullas cum illis habitare permiserunt præter matrem aut sororem aut amitam, in quibus naturale fœdus nihil permittit criminis suspicari. Quam sanctissimam disciplinam, etsi consuetudo plerisque in

locis emolliverit, sacerdotes tamen hujus diœcesis monitos volumus, ut pro posse curent eas tantum ancillas seligere, quarum ætas provecta et fama illibata omnem suspicionem amoveat. Volumus præterea ut sæcularium mulierum, ne suis quidem exceptis, consortio et familiaritate non utantur, neque eas licet propinqua cognatione conjunctas, in eadem secum domo commorari sinant, si ullo modo, directe sive indirecte, se sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiasticis administrandis immisceant. Nunquam coram illis de gregis regimine, de ecclesiæ negotiis, de parochianorum vitiis aut defectibus verba faciant; quia si fuerint, quod persæpe accidit, "verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet" (I. Tim., 5, 13.), tota sacerdotis monentis, docentis, præcipientis auctoritas corruat necesse est. Prohibemus etiam ne sacerdotes in suis domibus scholarum institutrices apud se retineant. Cum feminis pietatis studio deditis nulla sit eis familiaritas, nulla consuetudo, quam non caritatis aut officii ratio postulat.

19. Omnibus Nostræ diœcesis sacerdotibus enixe commendamus, ut attente perpendant sequentia verba Patrum Concilii Plenarii Balt. II., n. 167: "Ut integram mentis corporisque puritatem servent, otium et desidiam quasi pestem fugiant. . . . Sacerdos molle et ignavum vitæ genus detestetur ac fugiat; et quod temporis

divinis laudibus et sacro muneri persolvendo superest ad literarum studia conferat. Neque disciplinis theologicis, canonicis, liturgicis semel operam dedisse sufficiat. . . . Scientiis etiam profanis animum intendere poterit, quas colere sacerdotem maxime decet, cum non pauca ex iis ad sacram scientiam ornandam tuendamque haurire liceat."

20. "Ne vero," ita Pius IX. in Encyclica d. d. 17 Martii, 1856, "in sacerdotibus, qui doctrinæ et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ministrandi sacramenta, sacrarum disciplinarum studium unquam restringatur, aut languescat industria, optatissimum Nobis est, ut a Vobis, ubi fieri possit, in omnibus Vestrarum diœcesium regionibus instituantur opportunis regulis congressus de morum præsertim Theologia ac de Sacris Ritibus, ad quos singuli potissimum presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam propositæ a Vobis quæstionis explicationem, et aliquo temporis spatio a Vobis præfiniendo inter se disserere de Morali Theologia deque Sacrorum Rituum disciplina, postquam aliquis ex ipsis presbyteris sermonem de sacerdotalibus præcipue officiis habuerit."

Summi Pastoris voto obsequentes statuimus, ut Collationes Pastorales, etiam a Concilio Plenario II., n. 68,

summopere commendatæ, in hac diœcesi saltem quater in anno juxta normam a Nobis statutam habeantur, quibus omnes Nostri sacerdotes, tam sæculares quam regulares curam animarum exercentes, tempore et loco designato intersint.

21. Juniores de clero quotannis per quinquennium a sua ad presbyteratus ordinem elevatione dabunt specimen sacræ scientiæ Theologicæ coram Nobis et Examinatoribus Synodalibus. Præter vitæ morumque ordinem et rationem, merita horum examinum multum conferent ad efformandum Nostrum in designandis pastoribus judicium. Quodsi requisita examinatorum suffragia non obtineantur, iterum iterumque examini subjiciendi erunt, arbitrio Nostro, usquedum votis examinatorum plene satisfecerint, omni interim promotionis ad munus pastorale spe ablata.

22. Concilio Provinciali Neo-Eboracensi I. instante, Sancta Sedes, die 3 Decembris, 1854, sacerdotibus in provincia hac existentibus concessit, ut solvantur ab obligatione recitandi Matutinum et Laudes eo die quo per quinque horas confessiones audierint, ita tamen ut per Episcopum loci in alias preces magis congruas commutentur. Porro in hac diœcesi volumus, ut sacerdotes in supradictis circumstantiis tertiam Rosarii B. M. V. partem recitent.

23. Cum S. Congregatio de Propaganda Fide omnibus horum Statuum Episcopis commendaverit institutionem quandam pro sacerdotibus pauperibus et infirmis sustentandis, hortamur omnes et singulos sacerdotes Nostros ut nomen dent societati vulgo dictæ "*The Clerical Fund Society*" eum in finem in hac diœcesi institutæ.

24. Consilium Nobis est instituere sodalitium sacerdotum ad effectum applicandi certum numerum Missarum in suffragium animæ uniuscujusque sacerdotis sodalis defuncti. Omnibus enixe commendamus, ut hoc sodalitium inire non detrectent.

25. Meminisse juvat sequentium verborum Concilii Provincialis Neo-Eboracensis III., decr. 6: "Ut forensibus litibus et judiciis aditus præcludatur, hortamur presbyteros, ut de bonis suis, si quæ ipsis sint ulla, testamentum ad normam legum tempestive conscribant: ne forte ea quæ ipsis demortuis pauperum aut ecclesiæ usui addicenda forent, hæredum, sive probati ii sint sive præsumpti, cupiditate diripiantur."

CAPUT II.—DE SACRAMENTIS.

I. De Sacramentis in Genere.

26. "Cum in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius nihilque excellentius aut magis divinum habeatur quam sacramenta, . . . sacerdos ad quem eorum administratio pertinet, meminisse imprimis debet, se sancta tractare." Puro et mundo corde ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportet. "Cæremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat . . . Omnes autem qui sacramenta suscipiunt . . . monebit ut . . . pie ac devote sacramentis intersint, et ea qua par est reverentia suscipiant." *Rit. Rom., h. t.*

27. "Quacunque diei ac noctis hora ad sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstando, præsertim si necessitas urgeat, moram interponat." *Ib.*

28. Monent Patres Concilii Plenarii Baltimor. II., n. 207, ut summa diligentia caveant sacerdotes, ne quid eorum desit sine quibus sacramenti ratio non constat. Quoties de valore sacramenti agitur, rejectis opinionibus, quas probabiles vocant, tutiores amplectantur.

29. In omni sacramentorum administratione Rituale Romanum, quem librum omnes habere debent, fideliter et sancte servare oportet. Poterunt etiam uti libello cui titulus "*Excerpta ex Rituali Romano*," Baltimoræ edito. Stricte prohibemus ne peculiares ritus a Rituali Romano alieni inducantur. Si jam existant, ut abusus quamprimum tollantur. Omnibus curam animarum gerentibus commendamus, ut semel saltem singulis annis præcipuas Ritualis rubricas evolvant, et quantum fieri potest, juvante bono commentario ediscant.

30. Juxta Rituale Romanum in sacramentis administrandis adhibeatur lingua Latina. In illis vero partibus, quibus assistentes alloquendi sunt, eam licet adhibere versionem vernaculam, quam "*Excerpta*" citata pro Nostris regionibus approbatam exhibent.

31. "In omni sacramentorum administratione superpellicio sit indutus (sacerdos), et desuper stola ejus coloris quem sacramenti ritus exposcit, nisi in sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio vel consuetudo interdum aliter suadeat." *Rit. Rom.* Eadem sacra indumenta adhibeantur, quantum fieri potest, quando ob aliquam necessitatem sacramenta in ædibus privatis conferuntur.

32. "Curabit (sacerdos) ut sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina et vasa ministerii integra nitidaque sint et munda." *Rit. Rom.*

33. "Ut ab ecclesiastico ordine," ita Benedictus XIV., "omnis vel minima avaritiæ suspicio aut simoniacæ labis species, in iis præsertim quæ ad sacramentorum administrationem spectant, penitus amoveatur," caveant sacerdotes ne quid exigant a fidelibus occasione sacramenti administrandi, vel aliquid ea de re pasciscantur. Improbamus illorum agendi modum, qui oblationes ante sacramenti administrationem exigunt. Condemnandi vero penitus sunt qui sacramenta denegant eo sub prætextu, quod oblationes vel certa pecuniæ summa non tribuantur. *Conc. Plen. Maynut.*, a. 1875, *nn.* 31, 41.

34. Olea sacra sancte servanda sunt. Sive in ecclesia, sive in sacristia, sive necessitate cogente in domo privata serventur, "in loco proprio, honesto, ac mundo, sub clave ac tuta custodia decenter asserventur. . . . Sint in suis vasculis argenteis aut saltem stanneis bene obturatis, quæ vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat . . . incisam, ne quis error committatur. . . . Curet parochus ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in ecclesia [in sacra lampade] comburat. . . . Parochus, quantum fieri potest, curet ne per laicos, sed per se vel per alium sacerdotem hæc olea deferantur." *Rit. Rom., de Bapt.* Si tamen virum laicum mittere necesse fuerit, sit ille probatæ fidei, qui olea sacra secure inclusa reverenter

deferet ad ecclesiam parochialem. At in nullo casu olea sacra mittantur cursu publico (*by mail or express*).

35. Jubemus ut in qualibet hujus diœcesis ecclesia Sacrarium habeatur, sive locus specialiter designatus et apte comparatus, in quem ablutiones corporalium, vasorum sacrorum, ac manuum, si Sanctissimum vel olea sacra quis tetigerit, necnon aqua in baptismo infusa, juxta rubricarum præscripta immittantur.

36. Præcipimus ut pastores in singulis suis ecclesiis habeant libros sequentes, Nobis in vistatione exhibendos:

(*a*) Librum *Baptizatorum*, in quo describantur nomina baptizatorum, eorum parentum ac sponsorum, dies nativitatis et baptismatis. "Si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat describatur (omnis tamen infamiæ vitetur occasio)." *Rit. Rom.* Item annotetur si baptismus fuerit privatus tantum, vel conditionatus. "Si forte non parochus sed alius baptizaverit, id exprimatur." *Rit. Rom.*

(*b*) Librum *Confirmatorum*, in quem referantur nomina confirmatorum, eorum sponsorum, et dies confirmationis.

(*c*) Librum *Matrimoniorum*, in quo scribantur dies et locus matrimonii, nomina et cognomina, domicilium,

ætas et conditio (singuli an viduati) contrahentium; nomina parentum eorum et testium. Annotandæ sunt denuntiationes bannorum omissæ; item dispensatio quæ forte obtenta fuit; causa tamen diffamans occulta non inscribatur. Nulla vero fit mentio dispensationis super impedimentum ex solo Pœnitentiæ sacramento cognitum.

(*d*) Librum *Defunctorum* (ubi ecclesiæ cœmeterium proprium annectitur), in quo scribantur defuncti nomen et cognomen, ætas, dies mortis et sepulturæ.

Librum *Status Animarum* summe commendamus juxta normam a Rituali Romano (versus finem) exhibitam describendum.

Curent sacerdotes, ut statim post sacramentorum administrationem, omnia diligenter et propria sua manu in supradictis libris scribantur. Qui quidem libri seu Regesta sub ipsius pastoris custodia asserventur. "Ob rationes satis graves . . . hæc regesta, præter unum fortasse librum emortualem, Latina lingua exarari decet." *C. Pl. Balt. II.*, *n.* 233. Ut uniformitas hac in re dubio procul magni momenti obtineatur, maxime commendamus Nostræ diœcesis parochis regesta ad mentem Concilii Provincialis Baltimorensis X. concinnata, Baltimoræque edita.

II. De Baptismo.

37. Necessitas hujus sacramenti pro omnibus maxima est. Igitur infantes recenter nati statim ad Baptismum recipiendum afferri debent. Volunt Patres Concilii Plenarii Balt. II., n. 225, "ut pastores animarum acerrime ac sæpius reprehendant detestabilem parentum Catholicorum socordiam, qui parvulorum ætatem tot casibus obnoxiam non statim Baptismatis sacramento muniendam curant." Itaque commendamus, ut parentes qui non ultra tria milliaria ab ecclesia distant, infantuli baptismum ultra septimam diem non protrahant. Qui longius distant, quamprimum sacerdotis copiam nanciscuntur, puerulum afferant. "Curent sacerdotes ut omnes fideles, præsertim medici, nutrices atque obstetrices privati baptismatis conferendi modum rite calleant. Sedulo etiam explicent gravissimam, qua tenentur omnes, absente sacerdote, obligationem illud infantibus vel adultis consentientibus, qui in proximo mortis periculo forte constituantur, impertiendi." *Ib.*, *n.* 228. Neque omittant medicos tam Catholicos quam acatholicos, obstetrices et parentes monere, omnem fœtum quocunque tempore editum baptizandum esse, vel absolute si vivat, vel conditionate si de vita dubitetur. *C. Pl. Maynut.*, *n.* 42.

38. "Sub gravi unus saltem patrinus . . . in baptismo solemni adhiberi debet; neque licet plures quam duos adhibere, quorum unus sit vir, altera mulier." *C. Pl. Balt. II.*, 231. "Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit." *Rit. Rom.* Oportet pastores sæpius publice populo exponere significationem muneris patrinorum, cognationem spiritualem ex eo provenientem, et præsertim ad hoc munus non esse admittendos publice indignos, ut sunt infideles, hæretici, membra societatis secretæ. Si tamen indignus ad munus hoc suscipiendum veniat, prudenter et suaviter moneatur. Nulli Catholico licet hoc munus suscipere pro filiis hæreticorum a ministello baptizandis. *C. Pl. Maynut.*, *n.* 34.

39. Nomina imponenda, quoad fieri potest, omnino sint Christiana. Si tamen parentes instent, ut imponatur nomen profanum ceteroquin honestum, nomen alicujus Sancti primo loco nominandi superaddatur. *Syn. Diœc. Taurin. a.* 1873. "In libro autem baptismatum omnia nomina recenseantur." *C. Pl. Balt. II.*, *n.* 233.

40. Cum proprius baptismi administrandi locus sit ecclesia, statuimus ut hoc sacramentum non nisi in ecclesia vel in stationibus missionum conferatur, adeo ut "necessitate excepta in privatis locis nemo baptizari debeat." *Rit. Rom.* Infantes vero qui longiori quam

trium milliariorum spatio ab ecclesia vel statione distent, domi baptizari possunt, et quidem cum omnibus cæremoniis tam ante quam post ablutionem faciendis. Quando ex collato in ecclesia baptismo magna sequerentur incommoda, v. g., tempore hiemali, poterit in sacristia vel domo sacerdotis solemniter administrari. Quando propter periculum infans domi baptizatur, qui postea commode ad ecclesiam deferri poterit, in tali baptismate privato, omnibus quæ ablutionem præcedunt omissis, sacerdos statim aquam infundit; ea vero quæ sequuntur, scilicet chrismatis unctio, vestis et candelæ traditio, statim perficiantur. *Gardellini.*

41. Fons baptismalis in omni ecclesia, quo nomine sacristia non venit, habeatur, clave obseratus. *Cfr. Rit. Rom. de Bapt., n.* 30. Ibidem, nn. 4, 6, præscribitur, ut aqua in fonte bene mundato ac nitido, nitida et pura diligenter conservetur.

42. "Sal, quod in os baptizandi immittendum est, sit benedictum sua peculiari benedictione . . . neque utatur sale exorcizato ad benedicendam aquam." *Rit. Rom.* Asservetur in vase vitreo vel eburneo vel ligneo, minime vero in metallico.

43. Sub conditione baptizandi sunt ii omnes, quos facto diligente examine valide baptizatos esse morali certitudine non constat; adeoque (*a*) conversi a quacun-

que hæresi; (*b*) infantes expositi; (*c*) infantes a nutricibus aut obstetricibus aut medicis acatholicis in domibus privatis baptizati, nisi testibus fide dignis constet baptismum rite valideque collatum fuisse. *C. Pl. Maynut.*, *nn.* 39, 40.

44. Ex Indulto Apostolico, die 10 Junii, 1875, Provinciæ Neo-Eboracensi ad quinquennium concesso, in Nostra diœcesi Ordinem Baptismi parvulorum licet in adultis baptizandis adhibere.

45. Benedictionem mulieris post partum, quam *Rit. Rom.* piam et laudabilem consuetudinem vocat, pastores maxime commendent ejusque originem, significationem et fructus opportune explicent. *C. Pl. Balt. II.*, *n.* 245. Quamvis hæc benedictio dari possit etiam matri prolis illegitimæ, tamen (*a*) notorie tali; (*b*) matri cujus proles apud hæreticos baptizata est; (*c*) mulieri quæ coram præcone acatholico matrimonium contraxit, hæc benedictio denegetur, nisi scandalum publice reparatum fuerit. *Cfr. Syn. Diœc. Ogdensb.*, *n.* 36; *C. Pl. Balt. II.*, *n.* 246. Benedictio hæc impertiri potest, etiamsi proles ante baptismum mortua fuerit. *S. R. C.* Extra ecclesiam vel locum ubi Sacrum fit, omnino non conferatur. *C. Pl. Balt. II.*, *ib.*

III. De Confirmatione.

46. Pastores summa diligentia curent, ut omnes pueri et puellæ suo tempore Sacramento Spiritus Sancti confirmentur. Hinc singulis annis publice moneant parentes et quotquot aliorum curam habent, peccato se reos fieri, si non satagant, ut a suis liberis vel sibi subditis hoc Sacramentum suscipiatur. Hortamur insuper animarum pastores, ut quoties opportune fieri potest, moneant adultos nondum confirmatos de summa hujus sacramenti excellentia maximaque nostris præsertim temporibus illius recipiendi necessitate. Cum sæpe etiam fiat, ut pueri in ipsa tenera ætate a scholis ad opificia mittantur neque postea facile ad instructionem revocari possint, præstat illos mature confirmari, modo tamen sufficientem habeant ætatem, fuerintque rite præparati.

47. Omnes tam pueri quam adulti bene de Confirmationis natura et fructibus instruantur, et nullus admittatur quin prius in doctrina Christiana sufficienter sit instructus. Hortamur etiam sacerdotes ut, juxta laudabilem consuetudinem, utantur ea occasione ad confirmandos in catechismi scientia plene instituendos.

48. Pastores non omittant monere confirmandos, moris in Ecclesia esse, ut in Confirmatione nomen alicujus

Sancti addant nomini quod in baptismo acceperunt. Hoc vero nomen simul cum nomine baptismali et cognomine (*Family Name*) in schedula scriptum sit, quæ a pastore cuilibet confirmando tradenda est, in testimonium eum sufficienter instructum esse ad Sacramentum hoc suscipiendum.

49. Juxta n. 253 Concilii Plenarii Balt. II., et repetita S. Congregationis S. Officii monita, valde cupimus, ut laudabilis Ecclesiæ consuetudo habendi patrinos in Confirmatione, singulos quidem pro singulis confirmandis, in Nostra diœcesi introducatur. Quodsi hoc omnino fieri nequeat, saltem duo pro pueris patrini et duæ pro puellis matrinæ adhibeantur. Curent vero pastores, ut nomina patrinorum rite describantur ob contractam ex eo munere spiritualem cognationem.

50. Sat multi sunt Catholici adulti nondum hoc Sacramento signati. Valde optamus istis Confirmationem administrare in fine Sacrarum Missionum, quæ in singulis parochis habentur.

51. Optamus ut prima Communio puerorum et Confirmatio eodem die non habeantur, ob meliorem quæ exinde haberi potest adolescentulorum et intellectualem et moralem præparationem. Valde tamen commendamus, ut eodem quo confirmantur die, Sacra Communione iterum reficiantur. *Cfr. Syn. Diœc. Roffens.*, n. 68.

IV. De Sanctissima Eucharistia.

I. Asservatio et Renovatio Sanctissimi Sacramenti.

52. Pyxis (Ciborium) in qua Sanctissimum servatur, sit argentea, intus deaurata, munda, operculo suo bene clausa, albo velo cooperta et in ornato tabernaculo super corporali benedicto posita. Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico albi coloris contectum. Etiam in parte anteriori ita obtegendum est, ut tabernaculo aperto pyxis a circumstantibus videri non possit. *S. R. C.* Præter Sanctissimam Eucharistiam nihil aliud, ne quidem olea sacra, in tabernaculo asservare licet. *S. C. Episc.* Ut in eo secure a furibus Sanctissimum Sacramentum servetur, poterit tabernaculum construi in capsa ferrea quam *Safe* vocant, quæ tuto claustro obseretur. Tabernacula sic dicta versatilia (*Revolving Tabernacles*), utpote ab Ecclesiæ mente aliena, plane improbamus. Clavis tabernaculi omnino a sacerdote, qui ecclesiæ vel sacelli curam gerit, custodiatur, vel saltem in loco tuto reponatur. Stricte prohibemus ne ullus sacerdos clavem tabernaculi per spatium unius diei vel in altari vel in alio loco patenti vel non satis tuto relinquat. Lampas coram Sanctissimo diu noctuque colluceat; eaque nec

supra, nec post, sed ante tabernaculum posita sit. Ex S. Rituum Congregationis decreto, 9 Julii, 1864, lampas nutriri debet ex oleo olivarum; ubi vero haberi nequit, ex aliis oleis quantum fieri potest vegetabilibus. Omnino prohibemus, ne oleum quod *Petroleum* vel *Kerosene* vocant, adhibeatur, nisi forte tempore hiemis quando olea vegetabilia nimio frigore congelant. Item prohibemus, ne olei loco sic dictum *Gas* ardeat. Caveant pastores, ne eorum incuria lumen per aliquod tempus extinctum maneat.

53. "Rituale Romanum jubet particulas Sanctissimæ Eucharistiæ frequenter renovari; et Cæremoniale Episcoporum id semel saltem in hebdomada faciendum præcipit. Hanc regulam quam S. Rituum Congregatio nedum sæpius confirmavit, verum 'stricte et rigorose obligare' declaravit, sacerdotibus omnibus fideliter servandam serio inculcamus. 'Ubi sacerdos novas consecraverit hostias, veteres primo distribuat vel sumat,' (*Rit. Rom.*), minime vero in tabernaculo servet." *C. Pl. Balt. II., n.* 268. Antequam hostiæ noviter consecratæ in ciborium reponantur, illud purificari debet. Modus exstat in *Ceremonial of the Church, P. I., Chapt. VI., art.* 2. "Hostiæ vero seu particulæ consecrandæ sint recentes." *Rit. Rom.* Optandum foret ut non excederent quindecim dies vel ad summum mensem a

tempore quo confectæ sunt. Juxta Gardellini pastorum incuria hac in re grave peccatum constituere potest. Hostiæ nondum consecratæ in loco decenti et in vasis mundis ad hoc destinatis asserventur.

II. Sacra Communio.

54. Pastores eorumque adjutores frequentem Communionem fidelibus enixe commendent. Sint faciles quolibet tempore ac prompti ad Sacram Eucharistiam omnibus digne petentibus distribuendam. Meminerint etiam præscripti Ritualis Romani, Communionem Paschalem ægrotis parochialibus, etiamsi Communionem extra præscriptos dies sumpserint, adhuc deferendam et administrandam esse.

55. In Sacra Communione, tum intra, tum extra Missam distribuenda, rubricas Ritualis Romani accurate observent. Vide *The Ceremonial of the Church, P. I., Ch. VI.* S. Rituum Congregatio, 27 Junii, 1868, statuit "posse etiam in paramentis nigris ministrari communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa etiam immediate ante eandem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem." Stola pro administratione extra Missam "debet esse coloris Officio illius diei convenientis." *S. R. C.*

56. Prima Communio puerorum sit pastorum maxima cura. Cordi sint omnibus præclara Patrum Concilii Prov. Ravennatensis, a. 1855, verba, in Concilio Plenario Balt. II., n. 260, relata. Qua vero ætate pueri Eucharistico Cibo primum refici possint, ib., n. 261, statuitur. "Si qui pueri nondum satis edocti periculose decumbant, eos Divini hujus Mysterii notitia imbuere studeant pastores, neque dubitent illis Divinum hunc Cibum præbere, si Divinum Panem satis a vulgari discernere didicerint, atque aliquo erga illum pietatis sensu affici cognoverint." *Syn. Diœc. Sabinæ h. a.* 1844.

57. Maxime optandum foret, ut omnes pastores, majoribus solemnitatibus et festis per annum advenientibus, diem statuant pro communi puerorum et puellarum confessione et communione. Nec possumus non commendare piam consuetudinem, qua singulis mensibus certa die Dominica omnes adolescentes, vel si nimis numerosi sint, altera Dominica pueri, altera puellæ Sacram Communionem recipiant.

III. Sacrum Viaticum.

58. Infirmis quidem suadendum est ut S. Communionem sæpius sumant etsi graviter non ægrotent, nec mortis periculum immineat. Sed per modum Viatici danda non est, nisi cum probabile sit quod eam amplius

sumere non possint. Viaticum dari potest etiam non jejunis. "Ne parochi renuant S. Eucharistiam iterato deferre ad ægrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, eam sæpius per modum Viatici, cum naturale jejunium servare nequeunt, percipere cupiunt." *Bened. XIV., De Syn. Diœc. l.* 7, *c.* 12, *n.* 4. Octo dies, imo pro variis circumstantiis pauciores, sufficere qui inter communiones intercedant, communis est Theologorum opinio. Hæc tamen non valent de infirmis quorum morbus est quidem diuturnus, chronicus, non tamen periculosus. His Communio Sacra dari poterit summo mane, vel statim post mediam noctem.

59. Deferendo Sanctissimum studeant sacerdotes tum internæ animi devotioni, tum externæ reverentiæ tanto Sacramento debitæ. Cum Sanctissimum e tabernaculo extrahunt stola induti sint. In altari duæ saltem candelæ cereæ accendantur; in altaris mensa corporale extendatur. Parva pyxis, continens Sanctissimum Sacramentum, bene clausa includatur in bursa decenter ornata, quæ ligaminibus ad collum appensa, secure vel ad pectus alligetur, vel in sacculo vestis interioris reponatur. Hæc omnia tum ex Rituali Romano tum ex decretis S. Rit. Congregationis strictissime servanda sunt. Parvum corporale benedictum et purificatorium deferenda, lintea sint et munda.

60. Sæpius admoneantur fideles, ut in accessu sacerdotis cum Sanctissimo Sacramento omnia necessaria in domo præparata sint; ut videlicet ægri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua ponatur imago Crucifixi cum duabus candelis, aqua benedicta, vas aliud cum aqua et cochleari; præterea linteum mundum ante pectus et sub mento communicantis ponendum.

Si quæ Hostia Sacra supersit, sacerdos ab ægrotantis domo rediens eam non asservet domi, sed ad ecclesiam via recta procedens statim in ciborio reponat, stola indutus, etc., ut supra n. 59 habetur.

V. De Pœnitentia.

61. Adhortamur omnes Nostræ diœcesis sacerdotes ut sæpius per annum vel saltem tempore Adventus et Quadragesimæ perattente ac diligenter legant verba saluberrima Patrum Concilii Plenarii Balt. II., T. V., C. V., "De Pœnitentia;" eaque corde et animo tenentes opere exequantur. Cum terribilis in judicio Divino ratio hujus Sacramenti administrationis ab unoquoque reddenda sit, omnes æque sacerdotes Nostros in Domino hortamur, ut singulis annis totum perlustrent tractatum Theologiæ Moralis de Pœnitentiæ Sacramento.

62. Meminerint Confessarii, ita monet Synodus Tauri-

nensis, Tit. 12, n. 14, graviter se obligari ut in hoc ipso Sacramento animas a Deo ad vitam sanctiorem vocatas in via perfectionis dirigant. Ne igitur ob ignorantiam perfectiori animarum illarum vitæ impedimento sint, assiduum solidæ ascesis studium non omittant. Eam addiscant ex auctoribus probatis, quales sunt S. Alphonsus M. de Liguori, S. Franciscus Salesius, Ludovicus Granatensis, Rodriguez, Scaramelli. Monet Benedictus XIV. confessarios eos omnes suscepti muneris partes non implere, imo vero gravioris criminis reos esse, qui nulla tacti sollicitudine, pœnitentes tantum audiunt, non monent, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formulam illico proferunt. Celeberrima Instructio Eystatensis, T. IX., C. III., § 5, mercenarios vocat confessarios "qui vix peccatis obiter auditis, tamquam nihil nisi Latine loqui didicissent, omni manu absolvere festinant."

63. Ad confessiones excipiendas approbati apprime calleant sic dictas "*Facultates*" iis a Nobis concessas, ut bene noscant quantum extendatur eorum Jurisdictio. Facultates istas vide in *Appendice.*

Voto S. Congregationis Episc. et Regular. obsequentes statuimus, moniales et feminas religiosas congregationum votorum simplicium valide absolvi non posse nisi a pastore loci, vel ab eo cui specialis ad hoc facultas a Nobis

concessa fuerit. Hoc tamen valet de iis tantum, quæ in conventu vel aliqua domo suæ Congregationis degunt non vero de iis quæ justa de causa extra eam versantur.

64. Sacerdotes curati conscientia tenentur, ut alacres sint et assidui in confessionibus fidelium audiendis; necnon ut tum apud ecclesiam ubi degunt, tum apud omnes quas perlustrant missiones vel stationes, animabus sibi commissis omnem præbeant copiam adeundi hoc Sacramentum tantopere necessarium. Enixe hortamur et obsecramus pastores animarum, ut ad tribunal Pœnitentiæ se sistant confessiones audituri singulis Sabbatis et vigiliis singulorum festorum solemnium, necnon vespere singulis feriis sextis per annum, ubi in ecclesiis confessiones frequentiores esse solent. Item, mane Dominicis festisque diebus ante primam et alteram Missam. His enim horis non deerunt pœnitentes, modo confessarius suo ipse muneri non desit. *C. Pl. Balt. II.*, *n.* 291. Commendamus insuper, ut horæ certæ præsertim pauperum et operariorum commoditati statuantur, quibus quotidie mane et vespere copia confessarii populo fiat. Item maxime commendamus consuetudinem, qua parochi subinde per annum, præsertim vero tempore Paschali et in Devotione Quadraginta Horarum, ex aliis parochiis ad confessiones audiendas vocant presbyteros, ut fidelibus apud alios sacerdotes

confitendi occasio præbeatur. Dominica autem die proxime præcedente, affuturum esse sacerdotem extraneum ad confessiones excipiendas, populo annuntiandum est. *C. Prov. Colon., a.* 1860.

65. Pastorum prudentiæ ac zelo relinquimus judicium de parvulis ferendum, quinam scilicet septennio completo hujus Sacramenti capaces sint. Prima vero Confessio ultra annum nonum ne differatur. Gravis est pastorum obligatio vel per seipsos vel saltem per sacerdotes adjutores instruere parvulos de natura hujus Sacramenti, ejus fructibus, et imprimis de recta examinis, contritionis, et confessionis praxi. Neque licet hanc curam parentibus vel scholæ magistris vel aliis laicis totam relinquere. Quoad repetitam Confessionem puerorum valent supra dicta n. 57.

66. Confessionalia in omnibus ecclesiis publice erecta habeantur. Declaramus autem Sacristiam aut aliud cubiculum intra ecclesiam vel ei adjacens non esse ejusmodi locum patentem ac publicum, saltem nisi porta aperta maneat. Inhibemus sub pœna privationis jurisdictionis ad audiendas Confessiones, ipso facto incurrendæ, omnibus sacerdotibus sive sæcularibus sive regularibus, ne in suis ædibus vel cubiculis vel alibi extra confessionalia in ecclesiis vel sacellis erecta, Confessiones mulierum vel puellarum audiant.

Excipiuntur surdæ, ægritudine laborantes vel ætate decrepitæ, vel quibus alia de causa impossibile est ecclesiam adire. In his tamen adjunctis sacerdotes confessiones non audiant ostio cubiculi penitus clauso. *S. Carolus Borrom.* Si ob loci angustiam hoc statutum sine gravi incommodo servari non potest, consulat unusquisque conscientiæ suæ. Etiam in stationibus crates idoneæ in confessionalibus habeantur.

67. Sigillum sacramentale religiosissime ab omnibus servetur. Necessarium quandoque est publice monere fideles, ne nimis prope adstent ad confessionale cum maxima confitentium ægritudine ac molestia. Sequens decretum Synodi Mechliniensis, a. 1872, Nostrum facimus: "Districte injungimus confessariis, ut in communibus colloquiis nunquam intermisceant verba de rebus in Confessione auditis, nec confitentium scrupulos, internas vexationes et ineptias referant, tacito etiam pœnitentis nomine, sub prætextu quod res ejusmodi non sint peccata."

68. Commendamus iter arripientibus ut ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, jurisdictionem petant, ut itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones excipere valeant, usquedum perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit. *C. S. Off.*, 17 *Martii*, 1869.

VI. De Extrema Unctione et Cura Infirmorum.

69. Omni studio ac diligentia periculose ægrotantibus Extremæ Unctionis Sacramentum administrandum est, eo quidem tempore, quantum fieri potest, cum illis adhuc integra mens et ratio viget. Juxta Catechismum Romanum, P. II., C. 6, n. 9, gravissime peccant sacerdotes, qui illud tempus ægrotos ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiunt. Hujus Sacramenti capaces sunt et pueri graviter decumbentes, licet primam communionem nondum susceperint, dummodo aliquando ita fuerint rationis compotes ut potuerint peccare.

70. Consulendum est fidelibus insistere ac precibus urgere medicum, ut statim ac morbus periculi speciem inducit, eos admoneat, ne superveniente casu repentino ægroti anima hujus Sacramenti beneficio privetur. *C. Prov. Westmon. I., a.* 1852, *T. XX., n.* 3.

71. "Juxta præscriptum et mentem Ritualis Romani sedulus sit pastor animarum in visitandis infirmis et agonizantibus etiam postquam ultima receperunt sacramenta; et illos exhortetur, consoletur, adjuvet et elicito ab iis si possint novo confessionis et contritionis actu, nova identidem donet absolutione." *C. Pl. Balt. II., n.* 116.

72. Quandoque hortari oportet ægrotum ut res suas

temporales rite disponat. Sacerdos tamen rei testamentariæ se non immisceat nisi id postulet justitia aut caritas; tunc vero ut tuta maneat propria fama, unus vel alter testis adhibeatur. Bonum erit, si sacerdos noverit formalitates a lege civili præscriptas, ut ubi necesse est alios edocere possit, quomodo rite juxta leges testamentum condatur. *C. Prov. Cassel., a.* 1853, *T. III., c.* 5. Vide *Append.*

73. Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria omnibus in articulo mortis constitutis, exceptis indignis, impertiatur; etiam pueris qui ob defectum ætatis nondum sacra communione refecti sunt, modo peccati capaces fuerint. *S. R. C.* Quamvis infirmus hanc indulgentiam plenariam cum benedictione Apostolica conjunctam semel tantum, id est, in vero mortis articulo lucrari possit (*S. C. Indulg.*, 5 *Febr.*, 1841), tamen ex ejusdem S. C. responso (12 *Martii*, 1855) prohibitum non est eam benedictionem papalem infirmo in eodem mortis periculo permanenti impertiri pluries ab eodem vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus; neque prohibitum est impertiri pluries infirmo in iisdem circumstantiis ut supra constituto indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus, ratione aggregationis Confraternitati SS. Rosarii, SS. Scapularis de Monte

Carmelo, etc. Invocatio saltem mentalis SS. Nominis Jesu præscribitur, quamdiu ægrotus suæ mentis compos est, ut conditio sine qua non, ad indulgentiam vi istius benedictionis lucrandam. *S. C. Indulg.*, 20 *Sept.*, 1775. Item hæc indulgentia non confertur omissa formula a Summo Pontifice præscripta ob libri deficientiam. *S. C. Indulg.*, 5 *Febr.*, 1841.

74. Hortamur sacerdotes ut quantum in ipsis est, juxta mentem Ecclesiæ et præscriptum Ritualis Romani, moribundis in ipso mortis articulo assistant. *Cfr. Epistolam Card. Barnabo*, 9 *Junii*, 1863, *relatam in Appendice XXV. ad C. Pl. Maynut.*

VII. De Matrimonio.

75. Enixe hortamur omnes pastores, ut singulis annis, præsertim tempore Quadragesimæ, publice fideles instruant de supernaturali hujus Sacramenti dignitate, ejus unitate et indissolubili firmitate; de impedimentis ecclesiasticis, præsertim disparitatis cultus, mixtæ religionis, consanguinitatis et affinitatis; de gravissimis malis e legis ecclesiasticæ circa hæc impedimenta neglectu orituris. Instructiones istæ, ut ipsa rei ratio docet, sedulo et accurate præparandæ sunt.

76. Parochus admonitus de aliquo matrimonio in

ipsius parochia contrahendo, tum ratione officii sui, tum ex lege positiva (*Rit. Rom.*, *Bened. XIV.*), sub gravi tenetur investigare, utrum inter contrahentes impedimentum canonicum intercedat necne. Prudenter etiam inquiret utrum iis quæ a lege civili requiruntur satisfactum sit. Expedit, ut investigatio de his omnibus fiat ante proclamationes in ecclesia faciendas. Parochus præterea tenetur inquirere, utrum nupturientes doctrina Christiana sufficienter instructi sint, eosque, si necessarium sit, in iis saltem fidei veritatibus instruere, quæ ab omnibus necessitate medii et præcepti scienda sunt. Parochus denique tenetur edocere contrahentes de natura sacramenti Matrimonii et officiis hujus status. Omni quo possunt modo curent sacerdotes, ut fideles ad hoc Sacramentum recipiendum bene parati accedant, pro ipsius Sacramenti sanctitate. Quapropter ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ prius accedere eos hortentur.

Maximopere commendamus, ut attente legantur quæ de præcedentibus scripta sunt ab Illmo. Episcopo *Heiss, de Matrim.*, §§ 67, *sqq.*, vel a *P. Konings, Theol. Mor.*, nn. 1542, *sqq.*

77. Quoad denuntiationes (banna) e Concilio Tridentino ante Matrimonium faciendas, Patres Concilii Balt. Plenarii II., n. 333, omnino volunt, ut hæc saluberrima

disciplina firma remaneat. Quæ sequuntur ab omnibus stricte servari mandamus:

(*a*) In omnibus locis, ubi singulis Dominicis Missa habetur, tres bannorum proclamationes fieri debent. Parochis tamen in his locis facultatem tribuimus ut ab una e tribus proclamationibus, justa de causa, dispensare valeant.

(*b*) In locis ubi Missa altera tantum Dominica die habetur, una fiat bannorum proclamatio ubi contrahentes commorantur, vel regulariter Missæ intersunt; altera vero in alia statione vel ecclesia fiat.

(*c*) Si contrahentes majore quam decem milliariorum spatio ab ecclesia vel statione distent, sive ubi Missa semel in mense vel rarius habetur, una tantum proclamatio requiritur; eaque fiat in statione quæ contrahentium domui propior est, vel in loco ubi pastor residet.

(*d*) Si contrahentes in diversis locis versentur, in utroque loco facienda est proclamatio.

(*e*) Quadragesimali vel alio tempore clauso bannorum proclamationes perinde ac reliquis temporibus fiant, nisi dispensatio prius obtineatur. Maxime tamen amovendi sunt fideles a matrimonio contrahendo quovis tempore, quo matrimonii solemnitates ab Ecclesia prohibentur.

78. Locus hujus sacramenti administrandi proprius

est ecclesia. Prohibemus igitur, ne in posterum Nobis inconsultis sacerdos in domo privata matrimonio assistat. Enixe hortamur sacerdotes, ut nihil omittant quo fideles ad ritum Ecclesiæ in re adeo gravi servandum induci possint, et omni modo procurent, ut matrimonia in Ecclesia mane non vero noctu, et cum Missa celebrentur, ut sponsi benedictionem nuptialem accipiant. Multi non erunt, qui hanc benedictionem recipere non desiderent, postquam edocti fuerint, quanti hæc benedictio ab Ecclesia habeatur, qualis sit, quam intime conjuncta cum SS. Sacrificio, ita quidem, ut eam extra Missam dare nunquam liceat (*S. R. C. sæpius*), nec Missa votiva pro sponso et sponsa legi possit, quando benedictio hæc prohibetur.

79. Benedictio nuptialis datur aut denegatur juxta illud dictum: 'benedicatur non benedicta, benedicta non benedicatur.' Itaque

I. Conferenda est: (*a*) primis nuptiis ex parte tum viri tum mulieris, sive hæc virgo sit sive non; (*b*) nuptiis primis ex parte solius mulieris; (*c*) nuptiis secundis mulieris, si in primis benedicta non fuerit.

II. Conferenda non est: (*a*) nuptiis secundis ex parte viri et mulieris, neque (*b*) nuptiis secundis ex parte solius mulieris, si in primis benedicta fuerit; (*c*) nuptiis tempore clauso celebratis; (*d*) nuptiis in matrimonio mixto.

80. Matrimonia clandestina, quæ v. g. coram magistratu civili, vel præcone Protestantico, vel nullo teste præsente, in loco ubi C. Tridentini decretum "Tametsi" non est promulgatum, ut v. g. in Nostra diœcesi ineuntur, quamvis graviter peccaminosa, tamen valida sunt, dummodo vero consensu de præsenti contrahantur, neque obstet canonicum impedimentum dirimens, e. c. cultus disparitas ob baptismi in alterutra parte defectum. Caveant idcirco sacerdotes, ne consensum matrimonialem iterum exquirant ab iis, qui clandestine quidem, sed valide conjuncti sunt.

81. Matrimonium coram præcone Protestantico inire, grave peccatum est. Unde vehementer reprobamus illorum agendi rationem, qui in matrimoniis mixtis prius coram sacerdote Catholico, postea coram præcone contrahunt, vel vice versa. Eorum matrimonio, quos sic agere noverit, sacerdotem Catholicum licite assistere non posse, declaravit S. Officium, 21 Apr., 1847. Ut quantum fieri possit fideles ab illicitis his matrimoniis deterreantur statuimus, ut quicunque coram præcone Protestantico matrimonium contrahant, excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incurrant. Si quando mora necessaria ad facultatem tales absolvendi a Nobis vel a Vicario Generali petendam, magnum afferat incommodum, indulgemus ut a pastore loci, vel

si copia ipsius adeundi non sit, a quocunque sacerdote ad confessiones in hac diœcesi excipiendas approbato, gravi prius injuncta pœna, absolvi possint. In his autem casibus, Nos vel Vicarium Generalem monere quam primum sacerdos qui eos absolverit tenetur, rationesque assignare ob quas id necesse judicaverit.

82. Matrimonia mixta, ait Benedictus XIV., perpetuo damnavit atque interdixit S. Mater Ecclesia. Pius IX., b. m., omnes Sacrorum antistites hortatur, ut "pergant flagrantiori usque zelo Catholicos sibi concreditos a mixtis hisce conjugiis avertere." *Instr.* 15 *Nov.*, 1858. Quapropter omnibus sacerdotibus Nostris in Domino jubemus, ut summa diligentia, tam publice quam privatim, fideles ab istis matrimoniis arcere conentur. Confessarios vero monemus, se conscientia teneri ad recusandam absolutionem personæ, quæ ob matrimonium ineundum acatholicam personam invisere consuescit, nisi id ex gravi causa fiat. *Syn. Diœc. Balt. VIII., a.* 1875.

Si porro matrimonium mixtum ob causas *omnino justas gravesque* (*S. C. de Prop. Fide*, 25 *Martii*, 1868) aliquando averti nequeat, decernimus ut sequentia ab omnibus stricte serventur:

(*a*) Antequam dispensatio super hoc impedimentum petatur, parochus a contrahentibus obtineat promissiones

circa cautiones salvas firmasque semper ac perdiligenter servandas "de perversionis periculo amovendo a conjuge Catholico; de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge Catholico pro viribus procuranda; deque universa utriusque sexus prole in sanctitate Catholicæ religionis omnino educanda." *Pius IX., Instr. cit.* Cum vir acatholicus est, hanc promissionem scripto exaratam generatim exigant, cui ipse manu propria subscribat. Cum vero mulier acatholica est, sufficit promissio ore facta. (*b*) Hæc mixta conjugia extra ecclesiam vel sacristiam, et absque sacerdotis benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debent. *Ibid.* Modus assistendi his matrimoniis stricte servetur, ut in memorato libello "*Excerpta etc.*," prostat. (*c*) "Proclamationes quæ in Matrimoniis præmittuntur, non fiant in mixtis connubiis, nisi quando necessariæ et opportunæ videantur judicio Ordinarii pro detegendis impedimentis, et omissa mentione religionis eorum, qui nuptias sint contracturi." *S. C. de Prop. Fide.* Denique hortamur omnes, ut omni animo attendant ad *Instructionem cit. Pii IX.*, necnon *Instructionem cit. S. C. de Prop. Fide.* Utraque prostat in Appendice ad Acta et Decreta Concilii Plenarii Balt. II.

CAPUT III.—DE CULTU DIVINO.

I. De Sacris Cæremoniis et Officiis.

83. Manuale Cæremoniarum ex decreto 31 Concilii Balt. I. confectum et a Gregorio PP. XVI. approbatum, cui titulus "*Ceremonial for the Use of the Catholic Churches in the United States,*" per totam diœcesim Nostram in cultu divino adhibendum est. Mandamus itaque ut illius exemplar in unaquaque ecclesia retineatur, ejusque ritus in omnibus fideliter serventur. Vehementer commendamus omnibus sacerdotibus Nostris, ut præter modo dictum librum cæremonialem, adhuc completum in omnes tam Missalis quam Breviarii et Ritualis rubricas commentarium habeant ad Sacræ Liturgiæ studium. Præ ceteris nominari meretur cl. *De Herdt, Sacræ Liturgiæ Praxis.*

84. "Custodes (sacristas) semel admissos sæpius monebunt pastores et diligenter instruent in iis, quæ sui sunt muneris, signanter ut ea, quæ cultum et officium divinum spectant, non perfunctorie, non negligenter, sed cum summa decentia et debita consideratione exequantur; ecclesiam et sacram supellectilem sibi

concreditam mundam, nitidam, et bene compositam habeant; ad quod plurimum juvabit, si pastores ipsi suo exemplo præeant, et . . . sua etiam industria ministros ecclesiæ juvare non detrectent." *Conc. Yprense, a.* 1631. Ad parochum præterea spectat pueros, qui cultui divino, præsertim sacrificio Missæ inserviunt, per se vel per alium rei liturgicæ expertum, recte instruere, ut officia sua respectiva functionesque tam privatas quam solemnes, pie, devote, et ad fidelium ædificationem obire possint.

85. Officia divina, quocunque diei tempore, horis præfinitis peragantur, quæ potius fidelium utilitati quam privatorum quorundam commodis conveniant, nec sine gravi ratione et prævio nuntio mutari debent. Sacerdos singula officia publica ipso temporis momento statuto, nec citius nec tardius, incipiat, quo non solum tædium, sed et scandalum adstantium evitatur. In exacta et accurata temporis statuti observantia satis commendari non potest bonum pastoris exemplum.

II. De Sacra Supellectili.

86. "Maxima sane debet esse observantia erga sacram supellectilem tanquam divino servitio mancipatam, imo tanquam sanctimoniæ participem, quæ

nimirum est sanctitatis instrumentum." *Scavini, Theol. Mor., T. IV., n.* 357. Sciendum enim, ut ait D Hieronymus, "sacros calices et sancta velamina, et cetera quæ ad cultum Dominicæ pertinent Passionis, non quasi inania et sensu carentia sanctitatem non habere, sed ex consortio Corporis et Sanguinis Domini eadem qua Corpus ejus et Sanguis majestate veneranda." *Ep. ad Theophilum Alex.* Itaque supellectilis curam parochus vel ipsemet vel per sacerdotem adjutorem gerat, neque eam personis laicis, quamvis religiosis, plene committat. Ubi linteaminum et vestimentorum cura religiosis sive viris sive feminis concredita est, ea de re quam optime instruantur. Moneantur præsertim, ut paramenta vel nova vel notabiliter refecta primum sacerdoti benedicenda afferant.

87. Hodie e consuetudine licet sacristis laicis omnibusque in habitu clericali ecclesiis inservientibus sacra vasa vacua et purificata tangere. Idem permittitur ex privilegio Summorum Pontificum laicis regularibus sacristis; item monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum. Idem dic de corporalibus, ut aiunt communiter. *Scavini, ib., n.* 359. Volumus ut hæc facultas ad alios laicos præter memoratos, omnino non extendatur.

88. Præcipimus ut in unaquaque Nostræ diœcesis

ecclesia ea omnia præsto sint, quæ secundum Ecclesiæ præscripta ad cultum divinum rite peragendum necessaria sunt. Hic speciatim notamus pluviale et velum humerale albi coloris pro benedictione cum SS. Sacramento; vestes sacras pro sacrificio Missæ præscripto colore diversas, ostensorium, thuribulum, et vas aquæ benedictæ.

89. Candelæ ex alba cera confectæ in cultu Sanctissimi et Sacramentorum administratione ex repetitis Ecclesiæ legibus adhibendæ sunt. Igitur stricto præcepto mandamus, ut ubique in hac diœcesi duæ saltem candelæ cereæ in celebratione Missæ, et saltem sex item candelæ cereæ in expositione Sanctissimi adhibeantur. Quando plures candelas ardere a rubricis permittitur, reliquæ præter istas cereas, ex spermate vel sebo confectæ esse poterunt, licet enixe optemus ut omnes cereæ sint.

90. Quæ circa res sacras speciatim observari oportet, perbene exposita sunt in libro *Rev. Hilarii Dale*, "*The Sacristan's Manual*," tum apud *De Herdt*, *op. cit.*, *P. I.*, *Tit. XVIII.*, *sqq.* Quæ ut sæpius relegant, omnes hortamur. Illud unum hic notamus, nullos Nos omnino vel calices vel ciboria (pyxides) ad usum sacrum adhibenda permittere, quorum cuppa saltem non sit argentea.

III. De Sacrificio Missæ.

91. In SS. Missæ Sacrificio peragendo ab omnibus sacerdotibus Nostris perquam diligenter et ad amussim observandas esse rubricas Missalis Romani districte mandamus. Prohibemus porro, ne ullus sacerdos sine veste talari sacrificium Missæ offerat. Alba vestes privatæ, amictu vestium collaria circumtegantur. *Rubr. Miss.* Item sub gravi prohibemus ne ullus sacerdos intra Missam ab altari recedat, ut oblationes fidelium accipiat.

92. Summa conscientia omnique studio curent sacerdotes ut valida sit utraque hujus sacrificii materia. Cum hac in re quod tutius est sequi oporteat, præstat vinum quod nativum dicunt comparare, idque a vitis cultoribus qui catholici sunt ac probatæ conscientiæ. *Cfr. Rescriptum S. C. de Prop. Fide*, 10 *Martii*, 1861, *in Append. XIX. C. Pl. Balt. II.* Hostiæ sint e pura farina triticea, et nonnisi a personis probatis et fide dignis confectæ.

93. Singulis diebus, hora statuta, hoc Divinum Sacrificium offeratur. Moneantur fideles, ut, quantum fieri potest, etiam diebus infra hebdomadem Missæ intersint. Ubi adest schola parochialis, commendamus ut Missa per hebdomadem ea legatur hora, qua scholares assistere possint.

94. Singulis diebus Dominicis ante Missam principalem facienda est aspersio aquæ noviter benedictæ. *Rubr. Miss.* Vide *Ceremonial, P. II., Ch. VII.*

95. Sacerdos celebrans Missam, in qua chorus tenetur cantare "Credo," non potest illam prosequi eo tempore, quo a choro idem Symbolum cantatur. *S. R. C.*

96. In domibus privatis Missa non celebretur, nisi forsan statio habeatur ubi sacramenta fidelibus administrantur; et hoc fieri non debet absque Nostra permissione expressa, nisi in loco qui saltem quinque milliariis ab ecclesia distat. Cum necessarium est in privatis domibus fideles coadunare, nunquam in eas vocandi sunt, ubi potus venditatur, vel quæ alio quocunque modo minus aptæ videri possunt.

97. Maxime commendamus omnibus, ut exacte et juxta ordinem describant, in libello ad hoc destinato, accepta Missarum stipendia, vulgo "*Intentions*," ut gravi quam exinde contraxerunt obligationi intra tempus debitum satisfaciant. Exoneratæ notentur, ut si forte mors intervenerit antequam omnes Missæ lectæ fuerint, certo sciatur quot exonerandæ maneant. *Syn. Diœc. Boston. II.*, n. 142. Maximam adhibeant diligentiam in iis stipendiis ad alios sacerdotes transferendis.

Ubi Missa specialis ad intentiones multorum indiscriminatim, v. g., in die et per octavam Commemorationis

Omnium Fidelium, offeratur, singulis vicibus prævia et diligens facienda est populo totius rei explicatio, vel tabella in loco ecclesiæ conspicuo apponenda, qua fideles doceantur, quod illis ipsis eleemosynis collectis una tantum vel certus Missarum numerus offeratur. *S. Congr. Conc.*, 27 *Jan.*, 1877.

98. Prohibemus ne quis hujus diœcesis sacerdos, sine auctoritate Nostra, onus Missarum in perpetuum vel ad plures annos dicendarum, quas fundatas vocant in se suscipiat. Obtenta vero permissione Nostra tale onus, una cum intentione et numero Missarum, in tabella describatur, quæ in patenti loco sacristiæ maneat appensa. Idem observandum erit, cum onus alicujus operis boni in futurum præstandi oblatum suscipitur.

99. Vi facultatis extraordinariæ a Sancta Sede Nobis concessæ declaramus privilegiatum in qualibet ecclesia hujus Diœcesis altare majus, dummodo aliud privilegiatum non adsit, pro cunctis Missæ sacrificiis, quæ in eodem altari celebrabuntur a quocunque presbytero sæculari vel cujusvis ordinis regulari.

100. Stricte prohibemus, ne ullus homo laicus munus Subdiaconi in Missa vel alia sacra functione sub quocunque prætextu obeat. *S. Rit. C.*, 11 *Sept.*, 1847. Juxta repetita ejusdem S. Rit. Congr. decreta non licet clerico in Minoribus Ordinibus constituto, etiam absque manipulo

parato, Subdiaconi officio fungi in Missa solemni, nisi in casu strictæ necessitatis, et dummodo non adsit alter in Majoribus Ordinibus constitutus.

101. Aspersio aquæ benedictæ in die Dominica; benedictio candelarum in festo Purificationis B. M. V.; benedictio palmarum in Dominica Palmarum; item absolutio post Missam de Requiem, faciendæ sunt ab ipsomet celebrante Missam. *S. R. C. sæpius.*

IV. De Cultu SS. Sacramenti.

102. Ad augendam devotionem erga SS. Eucharistiæ Sacramentum simulque debitam eidem reverentiam fovendam, statuit Sancta Mater Ecclesia, non licere illud publice in ostensorio exponere nisi ex causa publica ab Episcopo probata. Concedimus porro, ut quandocunque debita cum solemnitate fieri possit, solemnis SS. Sacramenti expositio et benedictio semel in die habeatur: (*a*) singulis diebus Dominicis; (*b*) festis de præcepto; (*c*) festis duplicibus i. et ii. classis, et duplicibus majoribus per annum, quæ in tabella Breviario Romano præfixa enumerantur, etsi non de præcepto; (*d*) in festo SS. Cordis Jesu; item in Ejusdem honorem prima uniuscujusque mensis feria sexta; (*e*) bis in hebdomada tempore Quadragesimæ; (*f*) in fine devotionis Viæ Crucis; (*g*) in fine precum Novendialium publicarum;

(*h*) singulis diebus Sacrarum Missionum tempore; (*i*) semel infra hebdomadem mense Beatæ Mariæ Virgini sacro, necnon primo et ultimo die ejusdem mensis Mariani.

Bis in eadem die benedictionem Sanctissimi solemnem dare permittitur: (*a*) die festo Corporis Christi singulisque diebus per Octavam; (*b*) vi specialis indulti, die 14 Maji, 1876, a Sancta Sede Nobis concessi, singulis diebus Dominicis, quando secus ob magnam populi multitudinem plures fideles hoc beneficio frustrarentur. Attamen hac de re prius certior faciendus est Ordinarius, ut in adjunctorum gravitatem et veritatem inquirat.

Prædictis omnibus vero nolumus limitare privilegia ampliora, si cui ordini religioso, vel alicui confraternitati a Sancta Sede forte concessa sint.

103. Expositio Sanctissimi fiat in altari majore; neque illud in ostensorio ab uno altari ad alterum transferendum est sine licentia Nostra. In quacunque expositione et benedictione SS. Sacramenti in omnibus serventur rubricæ et S. Rit. Congregationis decreta. Expositione peracta, ostensorium in tabernaculo nequaquam relinquendum est. Sola Hostia sacra in pyxide vel lunula bene clausa in tabernaculum reponatur. *Cfr. Ceremonial, P. II., Ch. VIII.*

104. Oratio Quadraginta Horarum in omnibus ecclesiis hujus diœcesis, ordine a Nobis singulis annis statuendo,

habeatur. Curent parochi gloriam Domini zelantes ut fideles summo omnium concursu hujus excellentissimæ devotionis fructus salutares quam uberrime hauriant. Modus hujus devotionis instituendæ exstat in appendice ad *Ceremonial cit.* Conditiones ad indulgentias lucrifaciendas, quas fidelibus explicare oportet, legi possunt n. 378 Conc. Plenarii Balt. II. Pius IX, b. m., die 28 Febr., 1864, petente Rev^mo^ Jacobo R. Bayley, prædecessore Nostro, indulgentias ceteraque privilegia Devotioni Quadraginta Horarum pro ecclesiis Romæ concessa, ad fideles hujus diœcesis extendere dignatus est.

V. De Festorum Observantia.

105. Optandum est ut Festorum, quæ et his in locis de præcepto sunt, observantia accurata inter nos vigeat. Sed cum difficile sit a servilibus operibus abstinere, iis maxime quorum opera debetur heris acatholicis, enixe adlaborandum est, ut fideles iis diebus, si infra hebdomadem cadunt, saltem Missæ assistant. Ac propterea debent pastores, ad satisfaciendum illorum devotioni, saltem unam Missam mane diluculo celebrare. Cætera omnia ut in Dominicis habeantur, etsi vel exigua pars fidelium interesse possit. Sub finem vero diei festi habeantur Vesperæ vel alia publica devotio cum benedictione Sanctissimi.

106. Sanctissimus Dominus Noster, Leo Papa XIII., instantibus Nobis, ut in hac diœcesi, quæ Sacratissimo Cordi Jesu anno 1873 solemniter consecrata fuit, festum ipsius Sacratissimi Cordis elevaretur ad ritum duplicis primæ classis, verum sine Octava, addita facultate celebrandi de eodem Missam cum cantu Dominica illud proxime sequenti: benigne annuit, de speciali gratia, pro petita ritus elevatione; quoad vero Missam in præfata Dominica celebrandam uti supra, indultum concessit sub conditione ut ea Dominica non occurrat duplex primæ classis aut aliquod Domini festum. *Die* 9 *Maji*, 1878.

107. Festum Immaculatae Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, quam Episcopi harum Provinciarum in Concilio Provinciali Baltimorensi VI. congregati, "ardentibus votis, plausu consensuque unanimi, sine labe conceptam in Patronam Americæ Fœderatæ Statuum elegerunt," a Pio PP. IX., instantibus Patribus Concilii Balt. Plenarii II., de præcepto pro omnibus his Statibus declaratum, in omnibus Nostræ diœcesis ecclesiis peculiari ritu ac solemnitate celebretur. Moneantur fideles ut hoc die Patronali sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ frequentent.

108. Ex Sacræ Rituum Congregationis decreto, 28 Sept., 1872, etiam in hisce Americæ missionibus festum

Patroni ecclesiæ (Titularis), sive consecratæ sive non consecratæ, celebrandum est ut festum duplex primæ classis cum Octava, "tum quoad Missam, si in iis ecclesiis commode celebrari valeat, tum quoad Officium, si qui clerici ad Horas Canonicas obligati . . . iisdem ecclesiis sint adscripti." Juxta n. 384 Concilii Balt. Plenarii II., concedimus, ut rure et in oppidulis, ubi difficile esset per hebdomadem plebem fidelium congregari, externa hujus festi solemnitas in Dominicam proxime sequentem transferatur, qua occasione decet ut sermo fiat in honorem Sancti Patroni vel Mysterii Titularis.

109. Pius IX., b. m., die 29 Junii, 1862, instante Rev^mo Nostro Prædecessore, fidelibus utriusque sexus diœcesis Novarcensis, qui vere pœnitentes, confessi, et Sacra Communione refecti, sive in festo S. Patricii, Episcopi et Confessoris, sive quocunque die infra ejusdem festi Octavam, aliquam ecclesiam vel oratorium aut capellam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint juxta Summi Pontificis intentionem et pro Sanctæ Fidei propagatione, plenariam indulgentiam, perpetuis futuris temporibus, benigne concessit.

110. Sacra Rituum Congregatio ad preces Nostras benigne annuit, "ut amodo in Kalendario Diœcesano

Festum Beatæ Julianæ Cornelionensis, Virginis, sub ritu duplici minori affigi valeat diei primæ liberæ in Kalendario ipso occurrenti post diem v. Aprilis, et cum Officio et Missa ab eadem Sacra Congregatione approbatis die 3 Julii, 1868, servatis Rubricis." *Die* 21 *Aug.*, 1876.

111. Parochos omnes hortamur, ut devotiones in honorem Passionis Domini Nostri Jesu Christi tempore Quadragesimæ, in honorem Beatæ Mariæ Virginis mense Maji cum maximo fidelium fructu spirituali, in suis ecclesiis, debito modo observent. Commendari meretur usus diebus Quatuor Temporum fideles in ecclesia congregandi ad offerendas Deo preces, ut dignos operarios mittat in vineam suam; item ad faciendas nunc supplicationes, nunc gratiarum actiones pro fructibus terræ bonaque messe.

112. Cum multa et gravia oriantur incommoda, si cœtus fidelium habeatur in media nocte in festo Natalis Domini, prohibemus ne sine expressa Nostra licentia, in prædicto festo ecclesia ulla fidelibus aperiatur ante horam quintam post mediam noctem.

Nota. Ut ea, quæ nn. 106, 108, 110 continentur, recte peragantur, observandæ veniunt Rubricæ Generales Breviarii Romani, tit. vii., de Octavis; tit. x., de Translatione Festorum; tit. xi., de Concurrentia Officii.

VI. De Prædicatione et Doctrina Christiana.

113. Omnibus, quibus prædicandi munus incumbit, summopere commendamus ut singulis annis, tempore Adventus vel Quadragesimæ, attente ac diligenter legant pulcherrima Concilii Plenarii Balt. II. verba "De Verbi Dei Prædicatoribus," T. III., C. V., *nn.* 127, sqq. Quo profundius Patrum illorum monita mentibus omnium inhæreant pleniusque serventur, ex illis sequentia, paucis aliunde additis, notamus:

Sacerdotes "curam animarum habentes . . . per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis." *C. Trid., sess.* 5, *de ref., c.* 2. Itaque non possumus non reprobare abusum intermittendi per unum et alterum mensem tempore æstivo verbi Dei prædicationem. At vero pastoribus omnibus stricte præcipimus, ut etiam æstate singulis Dominicis, præter denuntiationes et monita quæ forte occurrant, verbum Dei saltem per horæ quadrantem annuntient. Commendamus morem prælegendi populo in singulis Missis die Dominica Evangelium diei vernaculo sermone. Volumus præterea, juxta C. Tridentini et Summorum Pontificum vota, ut tempore Quadragesimæ una saltem die feriali per hebdomadem sermo ad populum sub vespere habeatur.

114. Res tractandæ, præsertim hac nostra hæresis atque infidelitatis et apostasiæ plena ætate, versari debent in dogmatum fidei non solum explicatione, sed et solida confirmatione. Inter ea primario veniunt, quæ a Concilio Vaticano in Constitutione Dogmatica "De Fide Catholica" definita sunt; tum vero Unius Ecclesiæ Catholicæ necessitas ad obtinendam salutem ("Quod dogma ut fideles impressum in animis habeant atque defixum, speciatim procurandum est." *Pius IX.*, *Encycl.*, *d. d.*, 8 *Dec.*, 1849); Ejusdem auctoritas et potestas; Romani Pontificis plena et suprema in universam Ecclesiam jurisdictio ejusque infallibile magisterium; SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis mysteria; incruentum Novi Testamenti sacrificium; Sacramentorum natura, virtusque sanctificandi eis inhærens; æternæ aut beatitudinis aut damnationis vita futura. Præter credenda facienda quoque, Dei nempe et Ecclesiæ mandata virtutisque Christianæ studium animis fidelium inculcare oportet. Fugienda vero peccata et vitia, præsertim quæ vel scandalum pariunt, ut ebrietas choreæque immodestæ, vel sunt periculosa fidei, uti lectio librorum et ephemeridum pravorum, societates secretæ, communicatio in sacris cum hæreticis (de quibus gravissima pensari merentur monita Concilii Plenarii Balt. II., nn. 472, 492, sqq.,

505, sqq., 511, sqq.), graviter, et quoties expedit, acri sermone insectari prædicator debet. Demum sacræ Liturgiæ cæremonias, earum origines et rationes, significationes symbolicas et utilitatem diligenter populo Christiano explicandas esse, monent C. Tridentinum et Rituale Romanum.

115. "Hæc singillatim," ita Patres Concilii Balt. Plenarii II., n. 132, " et accurate enarranda atque evolvenda sunt . . . per annum aut biennium, donec omnia scitu necessaria pertractata fuerint." "Qua in re," ita ib., n. 133, "sacerdotes maximopere adhortamur ut Catechismi Romani [cujus exemplar Nostræ diœcesis sacerdotes apud se retineant frequenterque legant] tanquam optimi ducis, vestigiis insistant. . . . Ex eo rerum tradendarum seriem hauriant. . . . Nihil tamen vetat, quin ordinem hunc abrumpere aliquando liceat . . . ad alia dicenda, quæ festi dies . . . aut rerum adjuncta suaserint." Serie continua ordineque non interrupto fidei dogmata populo exponere, maxime commendamus.

116. In prædicando verbo Dei nihil divini ministerii dignitate aut gravitate indignum admittant. Sedulo se præparent, nec unquam sua culpa imparati prodeant. Jubent Tridentini Patres ut facilis sit sermo, id est, auditorum captui accommodatus. Studeant ergo plane, aperte et enucleate Evangelii doctrinam annuntiare.

Etiam inter Missarum solemnia præferenda est simplex instructio per modum homiliæ vel catechesis, nisi ob rationem specialem sermo compositus habendus videatur. "Curet vero concionator ne unum vitium (fucatum sermonem inanemque verborum pompam) effugiendo in alterum incurrat, et sermo ejus ex facili in humilem, rudem et incompositum delabatur." *C. Pl. Balt. II.*, *n.* 138. Qui Dominica quaque die sermonem habent, meminerint prolixitatem tædium parere, quo omnis virtus et vis prædicationis amittitur. *Ib.*, *n.* 144.

117. Catechesis, seu adolescentulorum instructio in religione Catholica, munus est pastorum gravissimum. Propterea "pueros puellasque Dominicis aliisque diebus festivis et quandoque sæpius [præsertim ubi adest schola parochialis] . . . elementa Christianæ doctrinæ studiose et diligenter edoceant." Cum Catechismo simul et Historia Sacra Utriusque Testamenti exponatur. *Ib.*, *n.* 435. "Neque hoc muneris per alios, ut negligentiores solent, sed per se ipse (pastor) exequatur. . . . Parentes omnibus quibus poterit modis inducat, ut partes suas agant. Eos hortamentis excitet, minis terrefaciat, precibus exoret, ut liberos stato catecheseos tempore ad ecclesiam (vel locum destinatum) mittant." *Ib.*, *nn.* 437, 438. Legantur *ib.*, *nn.* 113, 115, 128.

118. Sacrarum Missionum necessitatem utilitatemque

pulcherrimis sane verbis enuntiavit, b. m., Pius IX.: "Illorum (i. e. concionatorum tempore Adventus et Quadragesimæ) operæ adjungere interdum oportet extraordinaria subsidia Spiritualium Exercitiorum et Sacrarum Missionum, quas ubi operariis idoneis commissæ fuerint, valde utiles benedicente Domino esse constat, tum fovendæ bonorum pietati, tum peccatoribus et longo etiam vitiorum habitu depravatis hominibus ad salutarem pœnitentiam excitandis, atque adeo ut fidelis populus crescat in scientia Dei et in omni opere bono fructificet, et uberioribus cœlestis gratiæ auxiliis munitus a perversis inimicorum Ecclesiæ doctrinis constantius abhorreat." *Encyclica, d. d.* 8 *Dec.*, 1849. Et iterum dicit in *Encycl., d. d.* 17 *Martii*, 1856: "Cum autem Sacræ Missiones idoneis operariis peractæ summopere conducant ad fidei religionisque spiritum in populis excitandum, eosque ad virtutis ac salutis semitam revocandos, vehementer optamus, ut illas identidem in Vestris diœcesibus agendas curetis."

Summum igitur Pastorem sequentes statuimus, ut singulis saltem quinquenniis Sacræ Missiones in unaquaque Nostræ diœcesis parochia peragantur. *Cfr. C. Pl. Balt. II., n.* 475, *sqq; et ib. Append. XXV.*

VII. De Exequiis et Sepultura.

119. Exequiæ defunctorum, quantum fieri potest, in ecclesia celebrentur, ubi residens adest pastor, nisi grassans quædam pestis epidemica, vel alia gravis ratio contrarium suadeat; quibus in casibus, si commode fieri poterit, Nostra sententia prius exquiratur. In exequiis peragendis servetur Rituale Romanum.

120. Graviter monemus parochos, ut summam adhibeant curam abolendi omnem in exequiis modum et usum, quo non solum scandalo plenæ sed et propter immodicos sumptus et impensas fidelibus onerosæ fiunt. Edoceant fideles, non externa illa pompa vanoque apparatu, quo persæpe vivorum potius quam mortuorum quæritur honor, animas defunctorum juvari, sed vero eleemosynis, bonis operibus precibusque piis, ac præsertim oblatione sacrificii Missæ. Consuetudo, quæ nomine *Wakes* audit, legibus ecclesiæ tam adversa, omnino aboleri debet. Qui ad defuncti corpus vigilare volunt, in jejunio et oratione multa pro anima ejus vigilias agant.

Quoad vehicula permittimus, ut duodecim adhibeantur. Si plura afferantur, prohibemus sacerdotibus, ne exequiis adsint vel ullas preces supra corpus defuncti effundant. Pastorum erit, tam publice quam privatim

fideles de hac lege edocere, atque firmiter una omnium concordia insistere, ut ubique observetur.

121. Maxime desideramus ut in praxim deducantur verba Ritualis Romani: "Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri potest retineatur, ut Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur." Pauci erunt, modo pompæ funebris sumptibus moderentur, qui non poterint dare eleemosynam, ut celebretur Missa solemnis vel cantata de Requiem, qualis, corpore præsente, diebus etiam duplicibus permittitur. Quo efficacius omnes fideles ad hunc usum introducendum moveantur, b. m. Pius IX., die 21 Oct., 1877, Nobis instantibus, benigne concessit, ut in hac diœcesi "in exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missæ cantatæ, Missa privata de Requiem, præsente corpore, legatur iis diebus, quibus permittuntur anniversaria defunctorum." *Cfr. monitum* 6, *in* "*Ordo Divini Officii recitandi.*" Sancta Sedes, die 11 Febr., 1877, concessit ut semel in anno, occasione exercitiorum spiritualium Cleri Nostri Diœcesani, celebrari possit Missa de Requiem pro sacerdotibus defunctis, etiam occurrente festo ritus duplicis.

122. Sermo de defunctis fieri potest in Missa exsequiali de Requiem. Sit brevis; mortuos inani laude non extollat, sed potius ad pietatem bonæque vitæ propositum vivos inducat.

123. "Ignorare non debet parochus, qui ab ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi, ne quemquam ad illam contra sacrorum canonum decreta unquam admittat." *Rit. Rom., de Exeq.* Quibus non liceat dare ecclesiasticam sepulturam, videre est *ibidem ;* tum in *C. Pl. Balt. II., n.* 389, *sqq.;* apud *Konings, Theol. Mor., n.* 1698, *sqq.* Catholici societatibus secretis alligati non solum ad sacramenta admittendi non sunt, quamdiu ligamen cum illis non solvunt, sed etiam sepultura ecclesiastica denegari debet iis, qui usque ad mortem in istis societatibus pertinaciter manserunt. Quodsi aliquando contigerit aliquem moribundum societati renuntiasse et pacem Ecclesiæ impetrasse, ritus sacros in ejus sepultura adhiberi permittimus, ea tamen conditione, ut socii superstites propriis ornati insignibus funus non comitentur. "In dubio vero an sint a sepultura ecclesiastica arcendi, consulendus erit Ordinarius, cum id commode fieri poterit ; secus autem in partes lenitatis et misericordiæ propendeat judicium." *C. Pl. Balt. II., n.* 389.

VIII. De Confraternitatibus et Piis Societatibus.

124. Pastoribus quam maxime commendamus, ut in suis parochiis confraternitates ab Ecclesia approbatas instituant. Præ ceteris foveant confraternitates SS.

Sacramenti; SS. Cordis Jesu; SS. Nominis Jesu (ad præcavendas blasphemias); Purissimi Cordis Mariæ; SS. Rosarii et sacrorum Scapularium B. M. V.; Sodalitates Marianas pro juvenibus utriusque sexus; Archisodalitium B. M. V. in Monterone ad solandas animas in purgatorio detentas. Curent parochi, ut pueri post primam Communionem statim in confraternitatem coadunentur, ut eo certius firmiusque in via virtutis incedere ac religionis pietatisque exercitiis regulariter inhærere possint.

125. Meminerint pastores, omnino necessarium esse, ut legibus a Sede Apostolica vel a SS. Congregationibus Rituum et Indulgentiarum circa confraternitatum erectionem regulasque servandas latis adhæreant, ne fideles indulgentiis aliove spirituali favore priventur, si quam in ea re negligentiam sacerdotes admiserint. Documentum erectionis canonice factæ duplex conscribatur: unum appendendum in sacristia; alterum ad Cancellarium transmittendum, ut in Archivis Nostris servetur. Ut in his omnibus tuto procedant pastores, eis vehementer commendamus librum *Rev. F..A. Maurel, The Christian Instructed in the Nature and Use of Indulgences.*

126. Ne omittant pastores vel confraternitatum præpositi sæpius in confratrum cœtu eos instruere circa confraternitatis finem, regularum observantiam, tum

vero maxime circa indulgentiarum naturam et utilitatem, modum eas lucrandi, et applicandi fidelibus defunctis.

127. Privilegio huic diœcesi concesso, die 6 Julii, 1856, omnes qui nomina dederunt Confraternitatibus B. M. V. de Monte Carmelo et SS. Rosarii, indulgentiam plenariam lucrari possunt quavis Dominica in mense ad Sacram Communionem accedant.

128. Piam societatem Propagandæ Fidei, a qua tanta beneficia in missiones totius Orbis derivantur, in omnibus Nostræ diœcesis parochiis introduci optamus. Societas Sanctæ Infantiæ, ad salvandos paganorum infantes instituta et a Gregorio XVI. et Pio IX. indulgentiis ditata, priori affinis est. Ea maxime commendanda est pueris puellisque qui scholas adhuc frequentant.

Societas Doctrinæ Christianæ iis in locis præsertim erigenda est, ubi sacerdos vel nullo fere modo, vel non sine aliorum auxilio infantes omnesque adolescentes in doctrina Christiana instruere potest. Hujus societatis membra, qualibet die Dominica in ecclesia vel alio opportuno loco congregant sui sexus adolescentulos quos doceant Christianam doctrinam. De Archiconfraternitate Doctrinæ Christianæ legatur *Maurel, op. cit., P. II., n.* 75: "*The Catechism.*"

129. Sanctissimus Dominus Noster Leo, Divina Providentia Papa XIII, feliciter regnans, quem Deus

O. M. diu sospitem et incolumem conservet, die 7 Aprilis, 1878, nobis benigne concessit ad quinquennium facultatem "erigendi sive per se [Nos] sive per sacerdotes delegatos in omnibus ejusdem diœcesis ecclesiis et oratoriis publicis omnes confraternitates et sodalitates a Sancta Sede approbatas, eisque adscribendi fideles utriusque sexus, necnon benedicendi et imponendi scapularia cum applicatione indulgentiarum et privilegiorum, quæ a Summis Pontificibus hujusmodi confraternitatibus et scapularibus concessa sunt." Pastores igitur, qui in parochiis suis confraternitatem vel sodalitatem hujusmodi erigere proponunt, petitionem per Cancellarium Nobis porrigant, ut eis potestatem necessariam delegemus, quod libenter facturos Nos esse declaramus.

IX. De Cantu Ecclesiastico.

130. Cantus omnis in ecclesia adhibendus pars est divini cultus. Unde talis sit oportet, qui ad cultum divinum promovendum fovendamque fidelium devotionem inserviat. Sit decorus, gravis et devotus; sit distinctus et intelligibilis. Cæremoniale Episcoporum, l. i, c. 28, jubet, ut omnino ab ecclesia arceantur sonus organi et cantus ab officio alieni, profani et mundani; cantilenæ molles, languidæ et enervatæ; omnis vocum

harmonia, quæ aliquid levitatis aut lasciviæ præ se fert, ac audientium animos a rei divinæ contemplatione avocat. Concilium Prov. Neo-Eboracense III., n. 4, penitus reprobat praxim, scenicos numeros et modos, verbis tantummodo mutatis, in officiis divinis adhibendi.

131. Inter Missarum et Vesperarum solemnia cantus fiat in lingua Latina. Inter alia vero officia licet idiomate vernaculo decantare. *S. R. C.*

132. Cantus Gloria et Credo, sicut et reliqui cantus in Missa, item Psalmi Vesperarum, integri canendi sunt. Quæ sub Introitu, Offertorio, Sanctus et post Elevationem cantantur, in tantum protrahenda non sunt, ut sacerdos otiose ad altare distractus hæreat, ita ut non musica missæ, sed missa musicæ famuletur. *S. Rit. C.* Inter Elevationem in Missa, et in Benedictione cum SS. Sacramento sileant cantus et sonus musici. *S. R. C.*

133. Valde optandum est, ut in scholis parochialibus liberi cantus ecclesiasticos in sacris functionibus decantandos addiscant. Ubi cum bono fructu fieri potest, pueri etiam Cantus Gregoriani rudimenta edoceantur.

134. Sciant demum pastores, cum cantus ecclesiasticus ad sacram Liturgiam pertineat, ipsorum munus esse invigilare, ut in suis ecclesiis cantus et musica usurpetur juxta leges et mentem Sanctæ Matris Ecclesiæ.

CAPUT IV.—DE BONIS ECCLESIASTICIS.

I. De Ædificiis.

135. Veterum canonum sanctionibus inhærentes, declaramus bonorum Ecclesiæ temporalium administrationem ad Ordinarium diœcesis et de ejus commissione ad sacerdotes ab ipso in partem sollicitudinis pastoralis vocatos de jure pertinere, nec nisi de ejus consensu et licentia laicis viris committi posse.

136. Cum juxta legem civilem de bonis ecclesiasticis tenendis, duo laici singulis volventibus annis in munus ædituorum eligendi sint, pastores sedulo curabunt ut nomina eorum, qui ad hoc munus implendum apti videbuntur, opportuno tempore ad Nos pro approbatione mittantur. Juxta Concilium Plenarium Balt. II., n. 201, nullus ædituorum numero adsciscatur "de quo sub ipsam electionem, vel paullo ante, constiterit eum societati cuivis secretæ nomen dedisse, vel Sacramenta Paschalia non suscepisse." Ædituorum electio vel reelectio quotannis peracta statim et accurate in Actis Collegii (cfr. n. 150, d.) referatur, ne forte hoc omisso,

societas ipsa coram lege pereat. Monet idem Concilium, l. c., ut, si quæ discrepantia pastorem inter et ædituos de rebus gerendis conferentes oriatur, nec dissensionem componere ipsi per se valeant, controversiam dirimat Episcopus, cujus judicio omnes pareant. Vide *Appendicem VI.*

137. Jus omne bonorum ecclesiasticorum ad Ecclesiam solam pertinet. Nullus itaque sacerdos jure et nomine proprio teneat ecclesiam, cœmeterium, domum parochialem, vel ædes; neque alia quæcunque bona, quæ fideles vel ex toto vel ex parte in religionis subsidium vel ecclesiasticos usus elargiti sunt, ut equum, currum, paramenta sacra, etc.; nisi certo et expresse constet ea personæ sacerdotis donata esse. At ipsamet societas ecclesiastica (*The Church Corporation*), a lege civili agnita, suo nomine proprio bona prædicta possideat. Item cum novam aliquam proprietatem ad usum ecclesiæ acquirit pastor, curet ut statim conficiatur novæ acquisitionis documentum seu titulus scriptus (*Deed*), quo jus proprietatis confertur ecclesiæ (*Corporation*). Tituli bonorum ecclesiasticorum Nobis exhibendi sunt, antequam in libris publicis inscribantur (*recorded*); postea vero Cancellario transmittantur in Archivis diœcesanis a Nobis secure asservandi, juxta n. 188 Concilii Plenarii Baltim. II. Omni diligentia cavendum est, ut tituli

ecclesiarum ac reliquæ proprietatis ecclesiasticæ ita conficiantur ab omni errore, præsertim legali immunes, ut perpetuo possessiones illæ in usum debitum tuto servari possint. *C. Pl. Maynut., n.* 197.

Demum ad præcludendam, quantum in Nobis est, scandalo viam, declaramus ipso facto suspensum sacerdotem, qui proprio nomine bonorum ecclesiasticorum titulum per tres menses retinuerit; quæ quidem suspensionis censura Nobis reservata est.

138. Universalis Ecclesiæ canones vetant, ne nova ecclesia temere vel absque Episcopi auctoritate erigatur. Ideo nemini licere declaramus in hac diœcesi de nova ecclesia ædificanda, aut veteri novis structionibus amplificanda, aut alio quocunque ædificio ad ecclesiam pertinente erigendo, aliquid pascisci vel statuere absque facultate Nostra scripto data. Ea concessa, ædificii constructio prius non incipiatur, quam ejusdem ichnographia cum partium accurata delineatione, item rationes impensarum initique contractus Nobis exhibitæ fuerint. Neque antequam data sit venia Nostra, contractus subscribantur; qui cum signati fuerint, in actis collegii ædituorum accurate describantur.

Propositum Nobis est, ubi de novis ecclesiis, scholis aliisve ædificiis ecclesiasticis erigendis agitur, vocare sacerdotes quosdam seniores, hujus rei peritos, qui rebus

omnibus inspectis, pensatisque rationibus, sua Nobis consilia communicent.

139. Commendamus quam maxime ut in locis ubi pastor residet, domus parochialis quam primum erigatur, si nondum adsit, quæ simul cum supellectili ecclesiæ propria erit. Fidelibus incumbit domum supellectili necessaria instruere.

140. Mandamus ut omnes pastores cautionem habeant contra damnum ex incendio oriundum sive in ecclesia, schola, domo parochiali, vel alio quocunque ædificio ecclesiæ proprio. Quæ quidem cautiones ecclesiæ nomine semper habendæ sunt, nisi aliter a Nobis ordinetur. Speciatim observanda sunt quæ sequuntur:

(*a*) Cum societates cautrices earum solummodo rerum damna compensare consuescant quæ in libello cautionis (*Policy*) singillatim et expresse numerantur, hinc non ædificii tantum, sed et omnis supellectilis rerumque mobilium in scripto libello mentio fiat, v. g. altarium, sedilium et scamnorum, organorum, imaginum pictarum et sculptarum, sacrorum vestimentorum et vasorum, vitreorum coloribus depictorum, etc.

(*b*) Cum ædificio per ignem destructo societatibus illis liberum sit vel restituere ædificium in statum pristinum vel eam pecuniæ summam præstare, quæ ædificio in statu quo erat iterum erigendo sufficeret, mo-

nemus pastores ne majoris pretii cautionem (*Insurance*) sibi faciendam curent, quam qui est actualis rerum, de quibus cavendum, valor.

(*c*) Idem observandum est in cautione quotannis renovanda, cum apud nos bonorum pretium soleat in dies variare ac mutari.

141. Cœmeteria munda, beneque ordinata semper serventur; sint decenter ornata ac muro vel sepibus custodita. Omnino arceantur quæ loci sanctitatem et gravitatem minus decent, ut sunt, v. g. sculptilia profana, immania, ridiculosa. Elogia vana vel inepta vel doctrinæ Catholicæ minus consentanea monumentis ne inscribantur. Maxime desideramus ut pastores normam statuant certasque regulas a Nobis approbandas, quibus res et negotia circa cœmeteria rite ordinentur.

II. De Reditibus et Expensis.

142. Ad reditus ecclesiæ pertinent collectæ factæ diebus Dominicis et festis; item omnia quæ proveniunt ex locatione scamnorum, e cœmeterio et schola; tum legata, donationes, subscriptiones et hujus generis cetera. Ex istis ea omnia desumenda sunt, quæ ad parochiæ administrationem; cleri aliorumque salarium; ecclesiæ, scholæ, domus parochialis vel aliarum ædium ad

ecclesiam pertinentium conservationem, necessaria sunt. Meminerint pastores sui muneris esse invigilare, ne reditus ecclesiæ sua culpa dilapidentur, sed potius religiosissime eos in fines tantum expendantur, ad quos a fidelibus oblati sunt.

143. Sub pœna peccati prohibemus ne ullus pastor in hac diœcesi suam ecclesiam ære alieno gravari permittat, nisi prius ad hoc Nostram veniam scripto obtinuerit. Nulli pastori vel ædituo licet, ecclesiæ nomine, perscriptionem ærariam (*Note*) dare, sine consensu Nostro in scriptis dato. Hortamur ut unusquisque pastor summis viribus conetur ecclesiam ære alieno quamprimum exonerare, ut debitis solutis, alia opera bona, educationi juventutis, vel aliter religioni necessaria, perfici possint. Stricte prohibemus ne pastor pecuniam in sui vel ecclesiæ usum a fidelibus mutuam vel in custodiam accipiat (*Deposit*), cum periculum sit, ne ære alieno obruatur cum ecclesiastici ordinis dedecore. Si vero obtenta prius a Nobis scripta licentia pastor certam pecuniæ summam in custodiam acceperit, singulis annis, in relatione Nobis facienda, referantur nomina eorum qui pecuniam deposuerunt, summa depositorum et usuræ solvendæ.

144. "Si contigerit aliquem pastorem vel imperitia rerum gerendarum vel incuria sua ære alieno ecclesiam

nimis gravasse, vel debitis haud satisfecisse, gravem satis habebimus causam eum a munere pastorali amovendi." *Stat. Diœc. Burlington., a.* 1878.

145. Decernimus ut quilibet pastor, qui unius vel plurium, ut quandoque accidit, congregationum vel missionum curam sibi a Nobis commissam habet, mille scutata per annum titulo salarii recipiat; ejus vero coadjutores accipiant singuli sexcentum. Eleemosynæ, quas fideles occasione administrationis Baptismi et Matrimonii sponte offerunt, omnes cedant pastori, cui soli committitur earum administratio, quique illis ipsis domus expensas ferre et adjutoribus suis congruam sustentationem suppeditare tenetur. Si oblationes illæ ampliores sint expensis, quod superest æque inter pastorem ejusque adjutores dividatur. Si vero expensis ferendis non sufficiant, quod deest supplendum erit æque ex salario tam pastoris quam adjutorum, at ex ecclesiæ ærario omnino non sumatur. Districte autem prohibemus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, Nobisque reservatæ, ne ullus Nostræ diœcesis sacerdos collectas pro seipso, sive in ecclesia sive in populo, faciat. Si cui ad supplendum salarii defectum concesserimus talem collectam instituere, quod suppleto defectu supererit, in ærario ecclesiæ reponatur.

146. Si quis sacerdos curam animarum habens propter

infirmam valetudinem parochiam ad tempus relinquere debeat, dimidiam sui salarii partem toto tempore, quo abest, sumere poterit. Si vero recreationis vel peregrinandi causa absit, nihil accipiat. Sacerdos vero, qui ejusmodi pastoris locum tenet, idem ac adjutores salarium sibi retinebit ac æquam partem subsidiorum, si quæ sint, pro Sacramentorum administratione.

147. Volumus ut nullo in casu, sine scripta Nostra licentia, salarium sive pastoris sive adjutorum, dum quotannis non solvitur, in cumulum crescat atque inter debita ecclesiæ recenseatur. Singulis proinde annis accipiatur juxta normam supra allatam; alioquin censebitur pastor vel coadjutor respective juri suo renuntiasse pecuniamque sibi debitam ecclesiæ dono dedisse.

148. Ad evitanda mala, quæ sæpius ex debitorum prorogata solutione eorumque accumulatione proveniunt, statuimus ut scholæ magistris, sive viris sive feminis, sæcularibus vel regularibus, singulis mensibus, vel saltem tertio quoque mense, salarii pensio, in illud tempus cadens, solvatur.

149. Quoad collectas, ad præcavendos abusus, hæc tenenda statuimus:

(*a*) Quæ hucusque fuit regula, eadem in posterum erit; videlicet diœcesis diœcesana, parochiæ vero propria sua sustentant instituta, sine succursu aliarum

diœcesium vel parochiarum, nisi forte in urbibus bonum commune, collatis viribus, melius obtineri videatur.

(*b*) Quoties Ordinario expedire videbitur, ut alicui ecclesiæ vel instituto opem ferat diœcesis, per litteras pastores certiores opportune reddentur.

(*c*) Nullis sacerdotibus, sive sæcularibus sive regularibus, aut monialibus, vel cuicunque personæ licitum est, sine scripta Nostra venia, collectas ostiatum facere, nisi intra limites propriæ parochiæ.

III. De Libris et Tabulis.

150. Singuli ecclesiarum pastores præter libros supra, n. 36, memoratos, sequentes habeant, quos item Nobis in visitatione exhibere tenentur:

(*a*) *Librum Actorum Ecclesiæ* (*Church Record*), in quo enarrentur ecclesiæ origo et res quæ ad ecclesiæ historiam præcipue spectant, quo videlicet tempore et auctore incepta, quo loco, qua forma et a quibus exstructa, cui Patrono, quove sub titulo dedicata; vel si quid aliud relatu et memoratu dignum existimetur, v. g. Missiones Sacræ, id notare et consignare ne pigeat pastorem.

(*b*) *Inventarium Ecclesiæ*, in quo minutatim accurateque describantur omnia bona, tam mobilia quam immobilia, quæ ad ecclesiam vel congregationem perti-

nent. Quæcunque vero paramenta, vel vasa, vel aliæ res in ecclesia, schola, domo parochiali inservientia, quæ sacerdotis propria et personalia sunt, ea distincte et qua talia in eodem libro separatim recenseantur. Omnia quæ in Inventario sic notata non fuerint, ecclesiæ bona censenda esse declaramus.

(*c*) *Librum Redituum et Impensarum* seu erogationum, in quo omnia huc pertinentia religiosissime inscribantur. Juxta votum Prædecessoris Nostri optamus, ut unusquisque pastor duplicem librum acceptorum et impensorum habeat: unum, in quo notentur quæ singulis volventibus diebus vel accipiuntur vel solvuntur (*Day and Cash-book*); alterum, in quo tum accepta vel accipienda, tum soluta vel solvenda per summaria sub singulis capitibus ordine describantur (*Ledger*).

(*d*) *Librum Actorum Collegii Ædituorum* (*Record of the Board of Trustees*), in quem accuratissime referantur ea omnia quæ in comitiis ædituorum peracta sunt.

151. Singulis volventibus annis ineunte mense Januario, in unaquaque parochia vel missione, duo æditui laici, vel alii viri duo ad hunc finem nominati, diligenter inspiciant omnes anni peracti reditus et erogationes. Accuratum istorum redituum erogationumque rationarium (*Financial Statement.* Vide *Append. V.*) exhibens simul summam rationemque omnium debitorum,

quo status ecclesiæ pecuniarius clare patescat, scripto exaretur, cui pastor, duoque viri vel æditui, supra memorati, nomina sua subscribant. Unum hujus rationarii exemplar in loco publico prope ecclesiæ portam affigatur, alterum vero ad Cancellarium mittatur.

152. Eodem illo tempore, summa diligentia ordineque describantur "*Notitiæ*," i. e., accurata relatio status et profectus, tam spiritualis quam temporalis, parochiæ vel missionis. Vide *Append. IV.*

153. Ad præcavenda dissidia tollendasque in futurum querelas, statuimus, ut omnis pastor, quacunque de causa a parochia removendus, priusquam discedit, explicationem accuratam scripto faciat omnium suæ ecclesiæ debitorum currentium quæ vocantur; rationum perscriptionumque pecuniæ (*Bills and Notes*), etc.; tum eorum quæ apud mensam (*Bank*) habentur, vel ab aliis ecclesiæ debentur. Hujus rationarii pastor exemplar unum successori tradat, alterum ad Cancellarium mittat.

CONCLUSIO.

Statuta hæc Diœcesana, quam primum typis impressa ac edita fuerint, vim legis obtinere declaramus.

APPENDIX.

I.

Facultates quæ Sacerdotibus in Diœcesi Novarcensi ordinarie conceduntur.

Reverendo.....

Auctoritate Nostra ordinaria, necnon Apostolica Nobis a Sancta Sede delegata, sequentes concedimus facultates in animarum salutem intra fines Nostræ diœcesis exercendas, usque ad revocationem :

1. Administrandi omnia sacramenta, Confirmatione et Ordine exceptis.

2. Absolvendi ab hæresi, et apostasia a fide, et a schismate quoscumque, etiam ecclesiasticos, tam sæculares quam regulares : non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint ; nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur hæreses, et post judicialem abjurationem illuc reversi, in hæresim fuerint relapsi ; et hos in foro conscientiæ tantum.

3. Absolvendi ab omnibus censuris in Constitutione "*Apostolicæ Sedis moderationi,*" d. d. 12 Octobris, 1869, contentis, etiam iis quæ ibidem Romano Pontifici speciali modo reservantur.

His non comprehenditur facultas absolvendi: (*a*) complicem in peccato turpi; (*b*) sacerdotem qui complicem absolvere præsumpserit; (*c*) personam cujuscumque sexus quæ vel per seipsam falso denuntiavit sacerdotem de sollicitatione in confessione, vel sceleste procuravit ut id ab aliis fieret; (*d*) procurantes abortum, effectu sequuto; (*e*) contrahentes matrimonium coram præcone Protestantico; (*f*) a suspensionibus in Synodo Diœcesana III., nn. 137, 145, latis; (*g*) in casibus supra (n. 2) exceptis.

4. Absolvendi, etiam directe, a casibus in numero præcedenti sub (*d*) et (*e*) et (*f*) reservatis: (*a*) ægrotos, quibus Sacra Eucharistia, etsi devotionis gratia tantum, vel Extrema Unctio administratur; (*b*) nupturientes qui in ordine ad Matrimonii Sacramentum confitentur; (*c*) eos qui sacris missionibus vel exercitiis spiritualibus operam dant; (*d*) detentos in carcere; (*e*) eos, qui reservationem vel censuram, quo tempore in crimen prolapsi sunt, ignorarunt.

5. Dispensandi quoad exercitium ordinum jam susceptorum, in quibuscumque irregularitatibus, exceptis

illis, quæ proveniunt vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario, vel ex violata censura.

6. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera; et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus: (*a*) castitatis perfectæ et perpetuæ, non tamen in Religiosa professione emissis; (*b*) ingrediendi religionem, in qua vota solemnia nuncupantur.

7. Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia, injuncta aliqua eleemosyna, vel pœnitentia salutari.

8. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum, tempore jejuniorum et quadragesimæ.

9. Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis, ac Sacra Communione refectis, eandemque lucrandi sibi; item concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab hæresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non valeant.

10. Benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit unctio sacra; et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

11. Benedicendi coronas precatorias, cruces, et sacra numismata, eisque applicandi indulgentias juxta folium

Romæ typis impressum; * erigendi Confraternitates B. Mariæ de Monte Carmelo, SS. Rosarii et Bonæ Mortis, necnon instituendi, in locis ubi non adsunt Patres Franciscales, pium exercitium Viæ Crucis, cum applicatione omnium indulgentiarum, et privilegiorum quæ Summi Pontifices prædictis Confraternitatibus, et Viæ Crucis exercitium peragentibus, impertiti sunt.

12. Singulis secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel iis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi Missam *de Requiem*, in quocumque altari, etiam portatili, et liberandi animas secundum ejus intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii.

13. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem; per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem; sine ministro; et sub dio, et sub terra, in loco tamen decenti (*Stat. Diœc. n.* 96); etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum; et præsentibus hæreticis, schismaticis, et infidelibus, si aliter celebrari non possit. Caveat vero ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur.

---

* Habetur in Append. XXX. ad *Acta et Decr. C. Pl. Balt. II.;* tum apud *Maurel, op. cit., Art. VI., n.* 101.

14. Deferendi SS. Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

15. Recitandi privatim, legitima concurrente causa, Matutinum cum Laudibus diei sequentis, statim duabus post meridiem elapsis horis.

16. Recitandi Rosarium si divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeat.

17. Incedendi, quando foras prodeundum est, absque veste talari a Sacris Canonibus præscripta, ita tamen, ut vestes nigri coloris, quarum exterior sit longa, juxta consuetudinem vigentem deferat.

18. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros ab Apostolica Sede prohibitos, etiam contra Religionem ex professo agentes, ad effectum eos impugnandi; exceptis astrologicis, judiciariis, superstitiosis et obscœnis ex professo.

Datum ex Ædibus Nostris Novarcæ, sub sigillo Nostro, die . . . . .

II.

INSTRUCTIO

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

De modo servando ab Episcopis Fœderatorum Septentrionalis Americæ Statuum in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus Clericorum.

Quamvis Concilium Plenarium Baltimorense II. ab Apostolica Sede recognitum, certam quamdam iudicii formam, iam antea a concilio provinciali S. Ludovici sancitam, in criminalibus clericorum causis ab ecclesiasticis curiis diœcesium Fœderatorum Septentrionalis Americæ Statuum pertractandis servandam esse decreverit, experientia tamen compertum est, statutum iudicii ordinem haud undequaque parem esse ad querelas eorum præcavendas, quos pœna aliqua mulctari contigerit. Sæpe enim postremis hisce temporibus accidit, ut presbyteri iudiciis ea ratione initis latisque sententiis damnati, remoti præsertim ab officio rectoris missionarii, huc illuc de suis Prælatis conquesti fuerint et frequenter etiam ad Apostolicam Sedem recursus detulerint. Dolendum autem est, non raro evenire, ut in transmissis actis plura, eaque necessaria, desiderentur atque

perpensis omnibus, gravia sæpe dubia oriantur circa fidem documentis hisce in causis allatis habendam vel denegandam.

Quæ omnia S. Congregatio fidei propagandæ præposita serio perpendens, aliquod remedium hisce incommodis parandum, ac ita iustitiæ consulendum esse censuit, ut neque insontes clerici per iniuriam pœna afficiantur, neque alicuius criminis rei ob minus rectam iudiciorum formam a promerita pœna immunes evadant. Quod quidem facili pacto obtineret, si omnes præscriptiones a sacris canonibus sapienter editas pro ecclesiasticis iudiciis, præsertim criminalibus, ineundis et absolvendis servandas omnino esse præciperet. Verum animo reputans, in prædictis Fœderatorum Ordinum regionibus id facile servari non posse, ea ratione providendum esse duxit, ut saltem illæ de ad misso crimine accurate peragantur investigationes, quæ omnino necessariæ existimantur, antequam ad pœnam irrogandam deveniatur.

Itaque SSmo. Domino Nostro Divina Providentia PP Leone XIII. approbante, in generalibus comitiis habitis die 25 Iunii 1878, S. C. decrevit, ac districte mandavit, ut singuli memoratæ regionis sacrorum Antistites, in Diœcesana Synodo quamprimum convocanda quinque, aut ubi ob peculiaria rerum adiuncta tot haberi neque-

ant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et quantum fieri poterit in iure canonico peritis seligant, quibus consilium quoddam iudiciale, seu, ut appellant, Commissio Investigationis constituatur, eidemque unum ex electis præficiant. Quod si ob aliquam gravem causam Synodus Diœcesana statim haberi nequeat, quinque vel tres prouti supra per Episcopum interim ecclesiastici viri ad munus de quo agitur deputentur.

Commissionis ita constitutæ princeps erit officium criminales atque disciplinares presbyterorum aliorumque clericorum causas, iuxta normam mox proponendam, ad examen revocare, rite cognoscere ac ita Episcopo in ipsis definiendis auxilium præbere. Satagant propterea oportet ad hoc munus electi, ut accuratæ fiant investigationes, ea proferantur testimonia atque a præsumpto reo omnia exquirantur, quæ ad veritatem eruendam necessaria censentur ac ad iustam sententiam tuto prudenterque ferendam certa vel satis firma argumenta suppeditent.

Quod si de alicuius Rectoris missionis remotione agatur, nequeat ipse a credito sibi munere deiici, nisi tribus saltem prædictæ commissionis membris per Episcopum ad causam cognoscendam adhibitis, eorumque consilio audito.

Electi Consiliarii in suscepto munere permanebunt ad

proximam usque Diœcesanæ Synodi celebrationem, in qua vel ipsi confirmentur in officio vel alii designentur. Quod si interim morte, aut renuntiatione vel alia causa præscriptus Consiliariorum numerus minuatur, Episcopus extra Synodum alios in deficientium locum, prout superius statutum est, sufficiat.

In causis cognoscendis, iis præsertim in quibus de rectore missionario definitive a suo officio amovendo agatur, iudicialis commissio hanc sequetur agendi rationem.

1. Ad commissionem investigationis non recurratur, nisi prius clare et præcise exposita ab Episcopo causa ad deiectionem finalem movente, ipse rector missionarius malit rem ad Consilium deferri, quam se a munere et officio sponte dimittere.

2. Re ad Consilium delata, Episcopus vicario suo generali vel alii sacerdoti ad hoc ab ipso deputato committat, ut relationem causæ in scriptis conficiat, cum expositione investigationis eo usque peractæ, et circumstantiarum, quae causam vel eiusdem demonstrationem specialiter afficiant.

3. Locum, diem, et horam opportunam ad conveniendum indicet, idque per litteras ad singulos consiliarios.

4. Per litteras etiam Rectorem missionarium, de quo agitur, ad locum et diem constitutum ad Consilium habendum advocet, exponens, nisi prudentia vetat, uti

in casu criminis occulti, causam ad deiectionem moventem, per extensum, monensque ipsum Rectorem, ut responsum suis rationibus suffultum ad ea præparet in scriptis, quæ in causæ expositione vel iam antea oretenus, vel tunc in scriptis relata fuerint.

5. Convenientibus Consiliariis tempore et loco præfinitis, præcipiat Episcopus silentium servandum de iis, quæ in Consilio audiantur; moneat investigationem non esse processum iudicialem, sed eo fine habitam, et eo modo faciendam, ut ad cognitionem veritatis diligentiori qua poterit ratione perveniatur, adeo ut unusquisque Consiliarius, perpensis omnibus, opinionem de veritate factorum, quibus causa innititur, efformare quam accurate possit. Moneat etiam ne quid in investigatione fiat, quod aut ipsos, aut alios periculo damni vel gravaminis exponat, præsertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicumque processui coram tribunali civili.

6. Relatio causæ legatur coram Consilio ab Episcopi officiali, qui etiam ad interpellationes respondebit a Præside vel ab aliis Consiliariis per Præsidem faciendas ad uberiorem rei notitiam assequendam.

7. Deinde in Consilium introducatur rector missionarius, qui responsum a se confectum leget, et ad interpellationes similiter respondebit, facta ipsi plena

facultate ea omnia in medium afferendi, intra tempus tamen a Consilio determinandum, quæ ad propriam defensionem conferre possunt.

8. Si contingat, rectorem missionarium, de cuius causa agitur, nolle ad Consilium accedere, iterum datis literis vocetur, eique congruum temporis spatium ad comparendum præfiniatur, et si ad constitutum diem non comparuerit, dummodo legitime præpeditus non fuerit, uti contumax habeatur.

9. Quibus omnibus rite expletis, Consiliarii simul consilia conferant, et si maior pars consiliariorum satis constare de factis arbitretur, sententiam suam unusquisque consiliarius in scriptis exponat rationibus quibus nititur expressis; conferantur sententiæ; acta in Consilio ab episcopi officiali redigantur, a præside nomine Consilii subscribantur, et simul cum sententiis singulorum in extenso ad Episcopum deferantur.

10. Quod si ulterior investigatio necessaria vel congrua videatur, eo ipso die, vel alio ad conveniendum a Consilio constituto, testes vocentur, quos opportunos Consilium iudicaverit, audito etiam rectore missionario de iis quos ipse advocandos esse voluerit.

11. Singuli testes *pro causa* seorsim et accurate examinentur a præside et ab aliis per præsidem, absente primum rectore missionario. Non requiratur

iuramentum, sed si testes ipsi non renuant, et se paratos esse declarent ad ea quæ detulerint iuramento, data occasione, confirmanda, fiat adnotatio huiusmodi dispositionis seu declarationis in actis.

12. Consentientibus testibus, et dirigente prudentia Consilii, repetatur testimonium coram rectore missionario, qui et ipse testes si voluerit interroget per præsidem.

13. Eadem ratione qua testes *pro causa*, examinentur testes *contra causam*.

14. Collatis tunc consiliis fiat ut supra n. 9.

15. Quod [si testes nolint aut nequeant Consilio assistere, vel eorum testimonium nondum satis luculentum negotium reddat, duo saltem ex Consilio deputentur, qui testes adeuntes, loca invisentes, vel alio quocumque modo poterunt, lumen ad dubia solvenda requirentes, relationem suæ investigationis, ad Consilium deferant, ut ita nulla via intentata relinquatur ad verum moraliter certo cognoscendum antequam ad sententiæ prolationem deveniatur.

16. Omnia acta occasione iudicii in medium allata accurate in Curia Episcopali custodiantur, ut in casu appellationis commode exhiberi valeant.

17. Si vero contingat, ut a sententia in Curia Episcopali prolata ad Archiepiscopalem provocetur,

Metropolitanus eadem methodo in causæ cognitione et decisione procedat.

Datum Romæ ex ædibus præfatæ S. Congregationis, die 20 Iulii anni 1878.

IOANNES CARD. SIMEONI PRÆFECTUS.

Ioannes Baptista Agnozzi Secretarius.

III.

INSTRUCTIO

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

De Scholis Publicis ad Rev^mos Episcopos in Fœderatis Statibus Americæ Septentrionalis.

Pluries S. Congregatio de Propaganda Fide certior facta est in Fœderatis Statibus Americæ Septentrionalis Catholicæ juventuti e sic dictis scholis publicis gravissima damna imminere. Tristis quocirca hic nuntius effecit, ut prædicta S. Congregatio amplissimis istius ditionis Episcopis nonnullas quæstiones proponendas censuerit, quæ partim ad causas cur fideles sinant liberos suos scholas acatholicas frequentare, partim ad media quibus facilius juvenes e scholis hujusmodi arceri

possint, spectabant. Porro responsiones a laudatis Episcopis exaratæ ad Supremam Congregationem Universalis Inquisitionis pro natura argumenti delatæ sunt, et negotio diligenter explorato Feria IV., die 30 Junii 1875, per instructionem sequentem absolvendum ab Emis. Patribus judicatum est, quam exinde SS. Dnus. Noster Feria IV., die 24 Novembris prædicti anni, adprobare ac confirmare dignatus est.

Porro in deliberatione imprimis cadere debebat ipsa juventutis instituendæ ratio scholis hujusmodi propria atque peculiaris. Ea vero S. Congregationi visa est etiam ex se periculi plena, ac perquam adversa rei Catholicæ. Alumni enim talium scholarum cum propria earumdem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta fidei addiscent, neque Ecclesiæ instruentur præceptis, atque adeo carebunt cognitione homini quam maxime necessaria, sine qua Christiane non vivitur. Enimvero in ejusmodi scholis juvenes educantur jam inde a prima pueritia, ac propemodum a teneris unguiculis: qua ætate, ut constat, virtutis ac vitii semina tenaciter hærent. Ætas igitur tam flexibilis si absque religione adolescat, sane ingens malum est. Porro autem in prædictis scholis, utpote sejunctis ab Ecclesiæ auctoritate, indiscriminatim ex omni secta magistri adhibentur, et certeroquin ne perniciem afferant

juventuti nulla lege cautum est, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneris mentibus infundere. Certa item corruptela insuper ex hoc impendet, quod in iisdem scholis aut saltem pluribus earum, utriusque sexus adolescentes, et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno, masculi juxta feminas jubentur: quæ omnia efficiunt ut juventus misere exponatur damno circa fidem, ac mores periclitentur. Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholæ tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Id porro claris verbis Summus Pontifex edixit, Friburgensi quondam Archiepiscopo, die 14 Julii 1864, ita scribens: *Certe quidem ubi in quibuscumque locis regionibusque perniciosissimum hujusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiæ auctoritatem, et juventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet instantissimo studio omnia conari, nullisque curis parcere, ut eadem juventus necessariam Christianam institutionem, et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare ejusmodi scholas Ecclesiæ Catholicæ adversas haud posse in conscientia frequentari.* Et hæc quidem utpote fundata jure naturali ac divino, generale quoddam enunciant principium,

vimque universalem habent, et ad eas omnes pertinent regiones, ubi perniciosissima hujusmodi juventutis instituendæ ratio infeliciter invecta fuerit. Oportet igitur ut Præsules amplissimi, quacumque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc, omnium consensu, nil tam necessarium, quam ut Catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis ergo Catholicis, sive condendis, ubi defuerint, sive amplificandis, et perfectius instruendis parandisque, ut institutione ac disciplina scholas publicas adæquent, omni cura prospiciendum est. Ac tam sancto quidem exequendo consilio, tamque necessario haud inutiliter adhibebuntur, si Episcopis visum fuerit, e Congregationibus religiosis sodales sive viri sive mulieres; sumtusque tanto operi necessarii ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportune oblata occasione, sive concionibus, sive privatis colloquiis, serio necesse est, ut ipsi commonefiant sese officio suo graviter defecturos, nisi omni qua possunt cura, impensaque, scholis Catholicis provideant. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter Catholicos ceteris præstant divitiis ac auctoritate apud populum, quique commitiis ferendis legibus sunt adscripti. Et vero in istis regionibus nulla obstat

lex civilis quominus Catholici, ut ipsis visum fuerit, propriis scholis prolem suam ad omnem scientiam ac pietatem erudiant. Est ergo in potestate positum ipsius populi Catholici ut feliciter avertatur clades, quam scholarum illic publicarum institutum rei Catholicæ minatur. Religio autem ac pietas ne a scholis vestris expellantur, id omnes persuadeant sibi plurimum interesse, non singulorum tantum civium ac familiarum, verum etiam ipsius florentissimæ Americanæ nationis, quæ tantam de se spem Ecclesiæ dedit.

Ceterum S. Congregatio non ignorat talium interdum rerum esse adjuncta, ut parentes Catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant; ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit necne, id conscientiæ ac judicio Episcoporum relinquendum erit; et juxta relata tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla præsto est schola Catholica, vel quæ suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suæ, congruenterque adolescentibus.

Quæ autem ut scholæ publicæ in conscientia adiri possint, periculum perversionis cum propria ipsarum ratione plus minusve nunquam non conjunctum, opportunis remediis cautionibusque, fieri debet ex proximo

remotum. Est ergo imprimis videndum utrumne in schola, de qua adeunda quæritur, perversionis periculum sit ejusmodi, quod fieri remotum plane nequeat: velut quoties ibi aut docentur quædam, aut aguntur, Catholicæ doctrinæ bonisve moribus contraria, quæque citra animæ detrimentum, neque audiri possunt, nedum peragi. Enimvero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est quocumque damno etiam vitæ.

Debet porro juventus ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam Christianam institutionem et educationem saltem extra scholæ tempus rite ac diligenter accipere. Quare parochi et missionarii, memores eorum, quæ providentissime hac de re Concilium Baltimorense constituit, catechesibus diligenter dent operam, iisque explicandis præcipue incumbant veritatibus fidei ac morum, quæ magis ab incredulis et heterodoxis impetuntur; totque periculis expositam juventutem impensa cura, qua frequenti sacramentorum usu, qua pietate in Beatam Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitent. Ipsi vero parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios, de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et si quid noxium ibi deprehenderint, antidota

præbeant eosque a familiaritate et consortio condiscipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant atque prohibeant.

Hanc autem necessariam Christianam institutionem et educationem liberis suis impertire quotquot parentes negligunt: aut qui frequentare illos sinunt tales scholas, in quibus animarum ruina evitari non potest: aut tandem qui, licet schola Catholica in eodem loco idonea sit, apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem Catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis, sine sufficiente causa ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat: eos, si contumaces fuerint, absolvi non posse in sacramento pœnitentiæ ex doctrina morali Catholica manifestum est.

IV.

NOTITIÆ.

ST.....CHURCH.....JAN. 1, 18...

	MEN.	WOMEN.	CHILDREN.	TOTAL.
Number of Catholics in the Parish?.....	.....	.....	.....	.....

